SACRA CONGREGATIO RITUUM

QUAE HAEC SACRA CONGREGATIO SUGGERENDA AUT PROPONENDA CENSEAT PROXIMO FUTURO CONCILIO

PRAENOTANDA

Haec Sacra Rituum Congregatio, dum proximo futuro Concilio ea suggerit vel proponit quae apta talique tantoque Consessu digna censet, ab initio clare desiderat enuntiare, duo exsistere graviora negotia quae — eorum considerata natura — non videntur apta quae a Concilio per extensum pertractentur. Sunt autem haec:

1. *Negotium reformationis generalis sacrae Liturgiae.* – De necessitate huiusmodi reformationis nemo est qui adhuc dubitet; imo, petitiones et proposita necnon accuratae descriptiones ad rem pertinentes, quae inde a praeterito Concilio Vaticano Sanctae Sedi porrectae sunt, his ultimis decenniis et numero et pondere invaluerunt. Ceterum, Summus Pontifex Pius XII v. m. hanc generalem sacrae Liturgiae reformationem enixe promovit et ex quadam parte iam in Ecclesiam induxit.

Haec enim generalis liturgica reformatio, profecto a Concilio poterit tractari *tamquam desiderium* vel *necessitas* mox in actum deducenda, non tamen videtur posse ab eodem Concilio examinari *tamquam ratio accurata* omnium quae fieri et innovari debeant. Descriptio enim ex omni parte praecise exarata reformationis liturgicae generalis, collatis consiliis virorum in singulis scientiae speciebus quae ad complexum opus huiusmodi pertinent, eximie peritorum (seu a « Commissione », vel a « Commissionibus » ad hoc deputatis) recte et utiliter parari potest, audita sane Concilii generali quadam sententia.

2. *Negotium reformationis in pertractandis Causis Beatificationis et Canonizationis.* – De utilitate vel necessitate reformationis quarundam saltem partium totius actionis Causarum huiusmodi, inter expertos viros vix dubium erit. Negotium vero praedictum adeo iurisprudentiae singulari harum Causarum connectitur, ut innovationes prudentes nonnisi a peritissimis totius pertractationis viris proponi possint. Videtur

igitur, reformatio huius generis, si tamen a Concilio exoptetur, non posse ab eodem in actum deduci.

Exclusis igitur his duobus negotiis, reformationis scilicet liturgicae generalis et reformationis actionis iuridicae causarum huius S. Dicasterii, utpote quae in Concilio vix penitius tractari possint, haec S. Congregatio ad suggerenda et proponenda ea devenit, quae post debitam et accuratam deliberationem a propria Commissione rite instituta, vere et proprie a Concilio dirimenda aut statuenda esse videntur in his omnibus quae huic Congregationi ex institutione sua demandata sunt.

* * *

De negotiis quae a S. Rituum Congregatione proximo futuro Concilio suggerenda aut proponenda esse censentur.

Agitur — atque hoc etiam statim in comperto sit — de negotiis gravioribus, quorum in unam vel in alteram partem prolata decisio,

a) aut *totam afficiet Ecclesiam,* saltem Latinam;

b) aut *mutabit notabiliter* plurium saeculorum vel etiam plus quam millenariam Ecclesiae Romanae *disciplinam liturgicam*;

c) aut demum implicare poterit aliqua ratione quaestiones quae strictam huius Dicasterii *competentiam* quodammodo excedunt, atque ipsum *dogma catholicum* attingere possunt.

Singula negotia tractantur, praemissa brevi expositione ad modum quaestionis, ex qua deducitur ipsum *votum* S. Congregationis.

I

DE CONCELEBRATIONE SACRAMENTALI

Status quaestionis

1. Distinguenda est imprimis concelebratio mere *rubricalis,* quae etiam *caerimonialis* vocatur, et concelebratio *sacramentalis.*

Concelebratio *rubricalis seu caerimonialis* ea est, in qua *Unus* et *Solus* sacerdos celebrans Sacramentum conficit; ceteri omnes, sive sacerdotes, sive non, quisque pro suo gradu et munere, celebrantem assistunt, iuxta rubricas, vel ut ministri sacri, vel ut assistentes « in choro », vel quovis alio modo.

Agitur ergo de *una Missa* seu de *uno Sacrificio* tantum.

2. Concelebratio *sacramentalis* autem ea est, in qua sacerdos celebrans, seu melius celebrans principalis, una cum ceteris sacerdotibus sibi assistentibus Sacramentum conficit.

Agitur ergo de *tot Missis* seu Sacrificiis, *quot sunt sacerdotes* concelebrantes.

3. In Ecclesia latina *concelebratio caerimonialis* semper in usu fuit et esse pergit, praecipue in forma Missae « conventualis », id est cum assistentia « chori ». Dolendum sane proinde est sensum verae « concelebrationis », tametsi mere « caerimonialis », adeo esse deperditum, ut aliquando usque eo deventum sit, ut « chorales » in Missa « conventuali » publice quasdam recitent Horas canonicas.

Singulari vero forma concelebrationis caerimonialis, in Ecclesia latina, ex antiquissima traditione habetur *Feria V in Cena Domini,* ad Missam solemnem; in hac enim unus et solus sacerdos celebrans, in figura Christi Domini in ultima cena, ceteris sacerdotibus (aliisque praesentibus) quasi in figura Apostolorum, Sacrum Corpus Dominicum porrigit, cum ceteri sacerdotes praesentes hoc die Sacrum non agant. Si quando hoc die vera concelebratio sacramentalis habeatur, ut in rito Lugdunensi et in sola ecclesia cathedrali, hic usus cum plurimum e media aetate est.

4. Concelebratio *sacramentalis* in Ecclesia latina (casu quem supra notavimus excepto) nunc ex praescripto iuris canonici unice viget in Missa in qua sacerdotes ordinantur vel episcopi consecrantur. Tunc enim neo-episcopi et neo-sacerdotes sacramentaliter concelebrant. Animadvertatur tamen bene, hunc usum non esse ex antiquitate traditum, sed media tantum aetate inductum. Imo etiam concelebrationem sacramentalem, quae nunc in variis ritibus orientalibus viget, minime esse antiquam, sed maxime a duobus vel tribus saeculis ab Ecclesia latina in praxim eorundem rituum esse translatam. *In antiquitate christiana,* saltem secundum notitiam quam de his omnibus hodie habemus, concelebratio sacramentalis ignota fuit.

5. His in brevissima verba redactis, sedulo animadvertendum est, recentioribus temporibus quaestionem de concelebratione sacramentali in Ecclesia latina valde fuisse agitatam, nec absque rationibus quae etiam attentionem Sanctae Sedis ad se attraxerunt.

Communius concelebratio sacramentalis exoptatur, quando rerum condiciones id quasi expostulare videntur, scilicet si pro praegrandi numero sacerdotum et temporis angustia singularis tot Missarum celebratio difficilis, vel certo minus digna, vel etiam quasi impossibilis fiat. Quod accidit saepius in magnis religiosorum domibus, in sanctuariis celebrioribus, occasione Congressuum extraordinariorum, in domibus exercitiorum etc.

Sunt etiam alii qui concelebrationem sacramentalem extra casus relatos, quasi rem quotidianam et ordinariam desiderant, loco praesertim Missae lectae quam sacerdos saepe saepius quasi absque ulla fidelium

assistentia celebrat. Denique, ut ad Feriam V in Cena Domini redeamus, sat multi sunt qui desiderant ut hoc die, quo etiam Sacerdotii institutio recordatur (non tamen liturgice!), concelebrationi mere caerimoniali hucusque in usu, substituatur concelebratio sacramentalis. (Sunt etiam, qui hoc die permissionem exoptant, qua singuli sacerdotes, ut ceteris diebus, propriam et singularem Missam celebrare possint; sed de his postea).

6. Priusquam ad vota Congregationis perveniamus, hoc quoque considerandum videtur. Quaestio de concelebratione sacramentali, ut prudenti viro videtur, hactenus non est in omnibus et per omnia investigata. Desiderantur adhuc investigationes historicae in tempora antiquiora, quibus factis, facilius erit quaestiones etiam quae ad dogma quodammodo pertinent, solvere. Iam Pius XII contra quasdam erratas assertiones de natura concelebrationis sacramentalis agere debuit.

Vota S. Rituum Congregationis

1. In praeparatione Concilii curetur nova et accurata indagatio sive historica, sive dogmatica, in originem, naturam et extensionem concelebrationis vere sacramentalis.

2. Hoc firmo iacto fundamento, haec S. Congregatio declarat, ex sua parte nihil obstare quominus quaestio de concelebratione sacramentali in Concilio discutienda proponatur; agitur vero de mutatione notabili disciplinae liturgicae Ecclesiae latinae quae magna cum circumspectione tractanda est.

3. Ceteris omnibus rite a Concilio perpensis, haec S. Congregatio inclinem se profitetur ut in Ecclesia latina concelebratio sacramentalis admittatur, hac tamen condicione ut eius usus stricte et praecise determinetur, nempe tantummodo ubi propter numerum sacerdotum qui eodem temporis spatio celebrare debent, celebratio Missae singularis incommoda et minus digna evaderet.

Quod haberi potest, *etiam quotidie,* in magnis monasteriis; *saepius* in magnis sanctuariis, praesertim diebus magni « concursus »; *quandoque* occasione conventuum pluriùm sacerdotum, ut in celebratione Synodi; in exercitiis spiritualibus, aliisve similibus casibus.

Non esset excludendus — uti videtur — aliquis casus *extratordinariae celebrationis festivae,* ex. gr., occasione visitationis Ordinarii loci, iubilaei ecclesiastici, festi Patroni, quando plures sacerdotes conveniunt, ut solemnitati maiorem addant praestantiam. His in casibus, *numerus minimus* sacerdotum videtur esse statuendus, quo non consecuto, celebratio prohibeatur.

4. Quod ad Feriam V in Cena Domini attinet, haec S. Congregatio,

omnibus considerandis sedulo examinatis, ad hanc pervenit sententiam; omnino agendum ut conservetur antiquissima traditio non solum Ecclesiae Romanae, sed omnium Ecclesiarum et rituum, scilicet ut hoc unico die (necessitatibus peculiaribus ratione numerositatis plebis praevisis) ultima Cena Domini in sacra Liturgia repraesentetur ita ut unice sacerdos celebrans Sacrum conficiat, omnesque alii sacerdotes (ceterique clerici et fideles) concelebrationem mere caerimonialem praestent, id est, quisque modo sibi competenti, Missae unius celebrantis assistat et ab eodem Corpus Dominicum accipiat.

5. Voto praecedenti actum est iam de postulato eorum qui Feria V in Cena Domini vel concelebrationem sacramentalem intentant, vel permissionem celebrationis Missarum lectarum seu singulorum sacerdotum, prout omnibus diebus fieri solet. Respectu singularis traditionis omnium Ecclesiarum, quae ab antiquissimis temporibus fideliter servata est, haec S. Congregatio se omnino adversam declarat omnibus tentaminibus, hanc venerandam traditionem evertendi.

Nec omittit eadem S. Congregatio animadvertere, ultimam rationem petitionum de quibus n. 5, ex nimio « Individualismo » promanare quo sensus communitatis seu « Ecclesiae » destruitur.

II

DE PUBLICA ECCLESIAE PRECATIONE SEU DE OFFICIO DIVINO

Status quaestionis

Praemonemus iterum, non esse intentionem huius S. Congregationis, Concilio praesentare exactam reformationis divini Officii (Breviarii) descriptionem (« piano dettagliato di riforma ») neque exspectare vel petere ex parte Concilii similem adumbrationem. Agimus potius, hic et nunc, de publica Ecclesiae precatione in genere, de periculis quibus nostris temporibus exposita est, et de adiumentis quibus servari et in posterum tuto collocari possit, ratione habita adiunctorum peculiarium nostri aevi.

Rem pro vita totius Ecclesiae et pro toto clero summi momenti brevibus numeris absolvere studebimus.

1. *De natura et absoluta necessitate precationis publicae Ecclesiae.* – Praeceptum dominicum: « Oportet semper orare et non deficere »

(*Luc.*, 18, 1) ex ipsis verbis divini Legislatoris apparet constitutum tamquam *lex generalis,* quae nullam admittit exceptionem. Apostoli hanc legem in actum traducere non cessarunt; Paulus in suis epistulis saepe argumentum attingit (« Sine intermissione orate », *II Tess.*, 5, 17, et aliis locis); primi christiani hoc praeceptum quam plurimum exsequi conati sunt. Lex enim illa obligat tam singulos christifideles, quam totam communitatem christianam seu Ecclesiam ut Corpus.

Non est hic locus historiam precationis publicae in Ecclesia inde ab Apostolorum temporibus retexere. Sufficit, hac historia supposita, adducere verba Summi Pontificis Pii Pp. XII, quibus naturam precationis publicae Ecclesiae seu Officii divini clare definit: « Est igitur " Divinum Officium " quod vocamus, *Mystici Iesu Christi Corporis precatio, quae christianorum omnium nomine* eorumque in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris et a religiosis sodalibus fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis » (Enc. *Mediator Dei,* 20 novembris 1947; *A.A.S.*, 39, 1947, p. 573).

Ad rem pertinet etiam factum illud notissimum maximi ponderis, quod in Actibus Apostolorum narratur, cap. 6, ubi Apostoli, ne nimis caritatis operibus distraherentur, Diaconos instituerunt, ita ratiocinantes: « Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis... *Nos... orationi et ministerio verbi instantes erimus* » (*Ibid.*, vv. 2 et 4). Apostoli ergo sacrum sacerdotale ministerium hoc duplici servitio crediderunt esse adimplendum: servitio scilicet *praedicationis,* et servitio *orationis.*

Historia precationis publicae seu Officii divini edocemur, naturam eiusdem precationis atque obligationem plane fuisse comprehensam variisque modis et formis et a fidelibus et multo magis ab illis fuisse ad effectum perductam qui sublimiore modo vitam christianam agere conabantur. Ascetae, monachi, moniales feminae, sacerdotes maioribus ecclesiis addicti multoties per diem noctemque repetita precatione praeceptum dominicum « orationis continuae » quodammodo exsequi studuerunt. Exitus progressus historici est status actualis, iure canonico sancitus. Ita factum est, ut Ecclesia legi universali precationis continuae satisfacere studeat, imponendo certis coetibus obligationem « Horas canonicas » persolvendi, id est Officium divinum recitandi, iuxta formas quas ipsa in suis libris statuit: Breviarium romanum, monasticum etc.

2. *De praecipuis periculis quibus Officium divinum hodie obnoxium est, seu de sic dicta « crisi Breviarii ».* – Magnus clamor recentioribus temporibus quasi undique elevatur, plus vel minus disertus, quo declaratur Officium divinum seu Breviarium esse « in crisi ». Haec assertio

non est accipienda nimia levitate. Contra Officium divinum reapse variae et graviores obstant difficultates, quas examinare praestat, ut remedia opportuna inveniantur.

A) *Difficultates Breviarii, quae ex ipsius natura et constructione oriuntur.*

a) *Natura « horaria » Officii divini et tempora nostra.* – Officium divinum pro sua origine et fine dispertitur in « horas canonicas », seu in partes, certis diei noctisque momentis assignatis illisque peculiariter aptatis, ut lex precationis continuae quodammodo, secundum hominum condiciones, in effectum ducatur. Haec partitio « horaria » olim erat omnino realis, et etiam, cum decursu temporum et mutatis rerum condicionibus, « Horae non semper stricte conservari poterant, principaliora saltem tempora diei servabantur. In monasteriis saepe hodie quoque tentatur, ut « Horae » quomodocumque iusto tempore recitentur.

Multo gravior est condicio cleri saecularis, vel eorum qui praecipue curae animarum adscripti sunt. Cursus vitae modernae in dies fit magis rapidus, numerus cleri quasi ubique diminutus est, cura animarum omni die maiores exigit labores et virium omnium contentionem; quo magis « mundus » modernus a Fide et a Deo abducitur, eo vel magis augentur necessitates fidelium et crescunt in immensum conatus Ecclesiae in defensione et tutamine populi.

Haec est ratio praecipua, cur plurimi sacerdotes, aut tempus non reperiant ad Breviarum convenienter recitandum, aut saltem sufficientem non habeant animi quietem ad Officium divinum cum fructu et gaudio persolvendum. Ita fit, ut « Horae », quae certis diei vel noctis momentis aptantur, extra idem tempus recitatae, perdant vel ex toto vel magna ex parte suum sensum, et proinde ordinarie absolvantur magis propter obligationem quae urget « sub gravi », quam ex plena cordis et animi Deum laudandi voluntate. Hoc modo ortus est sic dictus « formalismus », et re vera, recitatio Breviarii per menses et annos sub pressione « actuositatis » incessantis, producta absque relatione naturali cum interna structura « Horarum », necessarie conducit ad exanitionem completam Officii divini. Hinc magna ex parte deplorata « crisis Breviarii ».

b) *Latinitas Officii divini.* – Alia difficultas inest in usu linguae latinae quae pro Officii divini persolutione praescribitur. Nam multi sacerdotes nostrae aetatis illam non iam adeo addidicerunt, ut totum Officium ea facilitate perlegere possint quae necessaria est, ut ex lectione oriatur spiritualis delectatio et fructus.

c) *Natura publica precationis per Breviarium.* – Per recitationem Breviarii « in choro » seu in communitate, quae est, origine et fine, pro-

prietas specifica Officii divini, sensus unionis vivae cum Ecclesia precante faciliter animadvertitur, dum recitatio, quam infelici dictione « privatam » vocant, quasi necessario conducit ad sensum solitudinis, quasi ratio precandi per Officium stet in oratione et lectione ad usum et emolumentum propriae personae. Nimis faciliter sacerdos qui solus Officium divinum recitat, communionem vivam cum Ecclesia, cuius nomine et auctoritate orat, obliviscitur, ita ut recitatio Breviarii practice habeatur ut actus pietatis personalis seu individualis.

Nec negandum est, certas formulas in Breviario, quae originem ducunt ex natura precationis communis, per se exigere communem recitationem. Sine illa homo modernus, qui « formalismum » abhorret, facile irritatur, cum obligetur ad dicenda et repetenda ea quae, vel in cantu vel in « choro » tantum, naturalem sensum obtinent.

Modo generaliori loquendo, memoranda quoque venit forma mentis, quae ultimis saeculis per philosophiam aliisve modis inducta est, quam simpliciter « individualismum » vocant. Etiam sacerdotes, qui sunt filii temporis in quo nascuntur et vivunt, in multis hodie « individualismo » indulgent, sive in re ascetica et morali, sive in exercitio pietatis, hic spiritus exaggeratus « individualismi » manifestatur etiam in relatione inter sacerdotem et Officium divinum, quamvis multi modo tantum subobscuro hanc difficultatem percipiant.

His aliisque rationibus, de quibus infra, factum est etiam ut in monasteriis et in Capitulis necessitas precationis publicae saepius non adeo percipiatur, et ut « Officium chori » non eo amore et persuasione peragatur, quae Ecclesiae precationi publicae debetur. Precatio etenim in « choro », a Capitulis cathedralibus et collegiatis, facta, vicaria vice fit nomine totius dioecesis et in eius beneficium, ac proinde gravissimis tantum rationibus reduci deberet, imo omnibus modis confirmari vel restitui. Aestimatio precationis publicae Ecclesiae, in forma illa sollemni et peculiari modo « publica », certe ultimis temporibus manifesto decrevit.

B) *Difficultates Breviarii, quae ex condicionibus vitae modernae oriuntur.* – Hae difficultates vix separari possunt a variis difficultatibus, superiore littera A) enumeratis. Vita moderna valde est intricata et causae quae in « crisim » Breviarii influunt, sunt multiplices et inter se complexae. Attamen aliquae causae difficultatum quae Officio divino adversantur, potius exterioribus condicionibus adscribi possunt quam ipsius Officii divini naturae et constructioni internae.

a) *Conflictus inter devotionem « modernam » et Breviarium.* – Usque ad medietatem Medii Aevi, Officium divinum principale fuerat

instrumentum pietatis sacerdotalis et monasticae. Certe, devotio privata, seu pure personalis, semper in Ecclesia exculta est; etiam monachi preces privatas habebant, et meditatio atque lectio spiritualis semper fuit exercitata. Attamen ipsum Officium divinum, tunc multo magis extensum et cum lectionibus longioribus, inexhaustum fontem praebuit pietatis et meditationis. Haec immutari visa sunt saeculo XIV, quando scilicet nata est sic dicta « devotio moderna », quae est, magna ex parte, devotio seu exercitium pietatis personalis, *individualis,* directa ad incrementum vitae spiritualis personalis; hinc praevaluere meditatio, lectio atque precationes individuales. Devotiones in Medio Aevo florentes, erga Christi Domini humanitatem, erga B. Mariam Virginem in variis mysteriis vitae ipsius, pietas « eucharistica » et aliae devotionis formae praevalere coeperunt; ex altera parte, inde a *Breviario Romanae Curiae,* quando scilicet ob varias rationes Officium divinum in formam breviorem contractum est, hoc ipsum Officium iam non exstabat maximus fons pietatis sacerdotalis. Finis huius progressus historici hic est, quod nunc, etiam per praescripta Iuris Canonici, exercitia pietatis privatae (scilicet: meditatio, lectio spiritualis, visitatio Sacramenti, mariale Rosarium, etc.) omnibus sacerdotibus et religiosis *praeceptive* imposita sunt, *manente sane obligatione Officii divini recitandi.* Per inevitabilem vim cursus vitae modernae in dies magis praecipitantis, hae duae obligationes, *et* ad Officium divinum (plus minusve unius horae spatium) *et* ad exercitia pietatis privatae (aliud spatium plus minusve unius horae) inter se concurrunt, ita ut vel Officium divinum, vel etiam exercitia pietatis individualis detrimentum patiantur. Sacerdos modernus optimae quoque voluntatis non potest simul et Breviarium completum et exercitia pietatis, alias praescripta, cum animi quiete et cum fructu ac delectatione intima exsequi. Necesse est omnino ut inveniatur modus ad has difficultates sat graves componendas.

b) *Conflictus inter occupationes quotidianas in dies crescentes et Breviarium.* – Iam supra de hac difficultate leviter monuimus. Constructio « horaria » Breviarii, qua per se exigitur recitatio Officii divini per praecipua momenta diei, hodie a multis vel nullo modo vel saltem sat difficulter servari potest. Penuria sacerdotum in cura animarum, supercrescens laboris vis et impetus, quibus sacerdos per totam diem agitatur, multiplicitas et immensa varietas diversissimorum negotiorum quibus sacerdos plurimum implicatur, totius vitae modernae festinatio et alia huiusmodi, adeo absorbere coeperunt « actuositatem » sacerdotum, ut pro vita spirituali excolenda, parum vel nullum tempus remaneat. Non absque gravi ratione Summi Pontifices Pius XI et Pius XII semel atque iterum de « haeresi actionis » locuti sunt, a qua ne clerus

quidem immunis evadit. Haec « activitas » febriculosa quam sit contraria serenae et convenienti Officii divini recitationi omnibus compertum est.

c) *Influxus ingenii ac morum nostrorum temporum.* – Involuntarie saepe, quandoque proprio studio, sacerdos quoque catholicus cogitationes et sententias philosophiae modernae atque multiplices influxus subit quibus incessanter progressus totius humani cultus omnem mundi angulum replet. Progrediente « civilisatione » technica, regreditur quasi necessario consideratio supernaturalis vitae. Supercrescente actuositate externa, reducitur vita spiritualis. Gustato « opio » activitatis, insulsa apparent tranquilla gaudia spiritus. Non solum exercitia pietatis personalis, iure praescripta, sed etiam Officium divinum, seu precatio Ecclesiae publica, graviter negleguntur. Huius status testimonia sunt innumera; de difficultatibus quae maxime pro Breviario nascuntur, locorum Ordinarii et sacerdotes zelum Dei habentes publice conqueruntur.

Haec et alia multa dicenda essent, ut difficultates vere multiplices neque effictae clare exhibeantur, quibus obnoxium est nostris temporibus Officium divinum, et quibus obviam venire debet et potest Concilium. Sint ergo aliqua vota huius S. Congregationis ad rem pertinentia.

Vota S. Congregationis Rituum

Ante omnia Concilium debet examinare, maxima cum conscientia gravitatis rei, quaestionem complexam divini Officii.

1. Concilium *urgere debet formaliter et graviter naturam et necessitatem precationis publicae Ecclesiae,* quae exercetur, ex eiusdem Ecclesiae institutione et praecepto, per Officium divinum, Ecclesia uti talis numquam poterit renuntiare huic obligationi, habetque gravissimum munus curandi ut debito modo huic obligationi satis fiat.

2. Haec S. Congregatio valde exoptat ut haec Concilio suggeratur propositio: *Amplificetur numerus eorum, quibus per Ecclesiae delegationem, precatio publica demandetur.* Et hoc quidem ex duplici consideratione:

a) Pensum quotidianum Officiii divini, ab iis ad quos spectat absolvendum, in reformatione generali liturgica certo aliquatenus imminui debebit. Huic inevitabili contractioni opponi aliquam compensationem non solum opportunum, sed quasi necessarium videtur. Quae compensatio facili modo inveniri poterit, ut statim innuemus.

b) Sunt in Ecclesia plurima *Instituta Religiosa,* maxime Sororum et, his temporibus, etiam *Instituta Saecularia,* quorum sodales, vi Constitutionum, tenentur ad certas precationes, in locum quasi divini Officii, recitandas, ut sunt: Officium parvum B. Mariae Virg. vel alia similia Officia.

aut etiam « Breviaria » ad usum horum Institutorum vel ad usum laicorum contracta. Haec autem multiplex quotidiana precatio quamvis fiat vi obligationis ab Ecclesia approbatae, non est tamen Ecclesiae precatio *publica,* ad modum Officii divini proprie dicti.

Revocari omnino debet etiam antiqua et pia praxis, ut populus christianus, praecipue diebus dominicis et festis, Vesperas cantet, vel etiam, in quibusdam locis, assistat Primae et Completorio. Et haec quoque, iuxta ius vigens, habenda sunt tamquam « exercitia pia » non autem ut Ecclesiae publica precatio.

Nostris temporibus denique, etiam inter pios laicos, augetur numerus eorum qui, pro sua possibilitate, amant aut totum Breviarium aut saltem aliquas partes seu Horas canonicas recitare, desiderio compulsi sese consociandi precationi officiali Ecclesiae.

Opportunum ergo videtur ut his omnibus, iuxta casum, « deputatio » ab Ecclesia concedatur ad recitandas dictas preces, ita ut *publica Ecclesiae precatio* multoties augeatur, in maius beneficium totius Corporis mystici Christi, innumerum hunc exercitum « precantium » inserendo in aciem eorum, qui iam ex Ecclesiae deputatione, ipsius precationem publicam quotidianam persolvunt.

Unum tantum esset faciendum: exarandus scilicet *liber officialis precationum* pro his omnibus, quibus Ecclesia privilegium et honorem concedere vult ut eorum precatio fiat suo nomine et praecepto. Quo in libro exstare deberent: Officium parvum B. Mariae Virginis, et verum et proprium « Breviarium parvum », Breviario romano opportuniore modo adsimulatum, lingua latina componendum, et ab hac S. Rituum Congregatione rite approbandum tamquam precatio nomine et deputatione Ecclesiae adhibenda, data tamen facultate hunc textum officialem in linguas vernaculas convertendi et eo utendi sub auctoritate Ordinariorum locorum.

Hoc vel simili modo mensura precationis publicae Ecclesiae maxime augeretur, his praecipue currentibus temporibus, quibus Ecclesia Dei maioribus semper discriminibus impetitur atque maiore indiget divino adiutorio. Sensus « ecclesiasticus » seu totius christianae civitatis summopere promoveretur, aucto numero eorum qui communi prece, Ecclesiae nomine et deputatione exhibitae, adunantur.

3. Omnis Breviarii reformatio et pensi reductio non dabit fructus qui desiderantur, nisi Concilium simul inveniat modum *reducendi sacerdotes ad opera proprie sacerdotalia,* quae sunt verbi Dei predicatio et « oratio »: cura animarum et precatio pro Ecclesia cum Christo. In hoc momento historico mundi, « Actio catholica » multo magis et ubique deberet exonerare sacerdotes ab omnibus tantisque occupationibus quae non sunt directe in salutem animarum. Et hic sermo cadit in aliud argumentum, quod

Concilio (ut videtur) a variis partibus praesentabitur: agendum erit *de restitutione Ordinum minorum et Diaconatus* ut sint vera officia, dum nunc non sunt nisi simplices gradus ascensionis ad sacerdotium, sine actione competente. Non est huius S. Congregationis tractare hanc gravem quaestionem; hoc tamen sibi liceat affirmare: restitutis Ordinibus sacris qui presbyteratum praecedunt ad eorum activitatem propriam, et collatis Actioni catholicae innumeris curis quae non sint stricte sacerdotales, spes affulget, ut Officium divinum tamquam magna et solemnis precatio publica Ecclesiae iterum in suum locum collocetur et operari possit potenter gloriam Dei et salutem Ecclesiae, certo magis quam excessus actuositatis sacerdotum et eorum defectus pietatis.

4. Omnino necessarium apparet huic S. Congregationi ut Concilium inveniat modum *restituendi in integrum absolutionem Officii divini* per Capitula cathedralia et collegialia, vel alio convenienti modo. *Publica exhibitio* precationis « publicae » Ecclesiae non debet cessare; precatio vicaria, saltem in residentia Pastoris dioecesani pro tota dioecesi, non solum propter gloriam Dei, quam procurare gravissimum est praeceptum, sed etiam propter exemplum fidelium non debet interire. Pressiones quae fiunt ut etiam religiosi toti se dedicent actuositati pastorali, impellentes vitae et victus necessitates sacerdotum non debent Ecclesiae adimere adiutorium publicae precationis, sive a singulis ad quos spectat, recitatae, sive in publico, in faciem Ecclesiae, solemniter et aperte peractae. « Supernaturale » omnino protegendum est contra invasionem « naturalis », « materialis », « profani ».

III

DE LINGUA LITURGICA LATINA ET DE LINGUIS VERNACULIS IN CELEBRANDA LITURGIA ADMITTENDIS

Praemittenda

Negotium linguae liturgicae in Ecclesia latina hodie inter gravissima sane et singulariter complexa, quae disciplinam ecclesiastico-liturgicam respiciunt, est connumerandum. Exstat enim in Ecclesia occidentali traditio plus quam millenaria pro usu liturgico linguae antiqui Imperii Romani, id est, linguae latinae. Quod factum adeo est apertum et clarum, ut omnes ritus occidentales (romanus, monasticus, dominicanus, carmelitanus et alii) qui hac lingua utuntur, sub unico nomine « Ecclesiae *latinae* » comprehendantur.

Recentioribus vero temporibus, diversae causae concurrerunt ad impetendam et labefaciendam positionem linguae latinae in universa Ecclesia latina, ita ut percrebresceret undique vehemens agitatio ad obtinendam saltem relaxationem sat amplam legis linguae latinae.

Cum usu linguae latinae intime connectuntur aliae quaestiones, uti, ex. gr., *unitatis* (saltem externae) Ecclesiae latinae, *puritatis Fidei* (propter pericula versionum minus accuratarum), ponderis *traditionis* millennium excedentis, et aliae. His omnibus consideratis, cum certe agatur de negotio summi momenti sub variis respectibus, necessarium visum est, praemittere votis huius S. Congregationis ad modum amplioris status quaestionis, cum factum historicum et iuridicum, tum argumenta potiora quae ex variis regionibus proponuntur ad impugnandam legem unius linguae latinae in Liturgia Ecclesiae latinae adhibendae.

Clarum est, hac expositione status rerum, minime affici positionem propriam huius S. Congregationis, quae in fine suam sententiam per plura vota explanabit.

Ob multitudinem rerum de quibus disserere oportet, opportunum videtur brevem indicem praemittere. Status ergo quaestionis hanc habebit divisionem:

1. Factum historicum et iuridicum.
2. Quomodo linguae vernaculae in Liturgiam latinam invectae sint.
3. Argumenta quae saepius afferuntur ad ampliorem usum linguae vernaculae in actionibus liturgicis obtinendum:
   a) generalis innovatio sensus liturgici;
   b) vis et impetus vitae modernae;
   c) generalis regressus cultus linguae latinae;
   d) « Maturitas » populorum;
   e) argumentum ex S. Scriptura et dictis Summorum Pontificum;
   f) argumentum ex natura linguae. Exempla;
   g) argumenta quaedam minora producuntur (1-5).

Status quaestonis

. *Factum historicum et iuridicum.* – Primo clare enuntiandum est factum historicum et iuridicum, nempe linguam liturgicam Ecclesiae latinae fuisse et esse *linguam latinam,* unde sane deductum est nomen proprium eiusdem Ecclesiae « latinae ».

Non est muneris nostri, hic scribere historiam linguae latinae in Liturgia romana et eius diffusionem temporibus invasionum gentium barbararum, quae in territorio Imperii romani sedes suas constituerunt. His gentibus fides catholica, una cum Liturgia, pervenit maxime ab

Ecclesia romana; praedicatio vero seu catechesis necessaria in lingua vernacula fiebat. Liturgia romana translata est principaliter qualis fuerat Romae, conservatis ritibus et lingua latina. Tentamen sanctorum Cyrilli et Methodii, apud gentes slavas praeter instructionem in lingua slava etiam Liturgiam romanam in slavam linguam inducendi, post varias vicissitudines in cassum abiit. Temporibus deinde Missionis modernae, inde a saec. XVI, missionarii europaei secum tulerunt libros liturgicos et linguam Ecclesiae latinae, atque totas sarcinas vitae cultioris ad modum gentis europaeae. Ita historico progressu factum est, ut toto fere orbe terrarum, una cum praedicatione fidei romanae, una eademque vigeat lingua liturgica Ecclesiae romanae, seu lingua latina.

Hoc factum historicum e longinquis temporibus a iure ecclesiastico quasi consecratum est. Sic venit, ut *Codex Iuris Canonici* in can. 2 pro celebranda Liturgia Ecclesiae latinae remittat ad libros liturgicos ab eadem Ecclesia « latina » probatos. De horis canonicis dicit, can. 135, eas recitandas esse « secundum proprios et approbatos liturgicos libros », et de Missae Sacrificio meminit, illud celebrandum esse (can. 819) « lingua liturgica sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati ». Omnes vero libri liturgici cuiusque ritus latini conscripti sunt *lingua latina.*

Itaque, de facto et de iure, lingua liturgica Ecclesiae latinae, in omnibus ritibus quae ad eam pertinent, *per se est una lingua latina.* Haec iterum recentissime ab hac S. Rituum Congregatione in memoriam revocata sunt in Instructione de Musica sacra et de sacra Liturgia, quae sub die 3 sept. an. 1958, auspice Pio XII perennis memoriae, prodiit. Ibidem numeris 13 et 16 lex unius linguae latinae tamquam linguae liturgicae Ecclesiae latinae clare enuntiatur.

2. *Quomodo linguae vernaculae in Liturgiam latinam invectae sint.* – In memorata Instructione tamen, praeter legem linguae latinae uti linguae liturgicae Ecclesiae romanae ceterorumque rituum latinorum, nonnullas exceptiones ab eadem lege commemorari oportuit: linguae enim vernaculae iamiam in ipsam Liturgiam latinam penetrare coeperunt.

a) Lingua etenim popularis vix numquam penitus in Liturgia defuit; praeter cantica popularia quae media aetate saepius inter actiones liturgicas, imo inter Missarum celebrationem, adhibebantur, praecipue in administratione aliquorum sacramentorum et sacramentalium, in funeribus aliisque sacris ritibus, lingua vernacula suum obtinebat locum quando scilicet directe cum vulgo quasi colloquium instituebatur, vel saltem necessaria erat cognitio verborum ad fideles directorum. Ita factum est ut simul ac primi libri rituales typis imprimi coepti sunt, in his

lingua quoque vernacula quibusdam locis inter sacros ritus una cum lingua legeretur.

Recentioribus temporibus, cum multa « Ritualia » dioecesana huiusmodi huic S. Rituum Congregationi pro approbatione proponerentur, haec non dubitavit, illam concedere. Recentissimis vero annis, ratione fervidioris liturgici apostolatus, a multis dioecesibus vel etiam ab integris nationibus rituales libri praesentati, et a S. Sede approbati sunt, in quibus linguae vernaculae largiorem adhuc usum invenerunt, ita ut saepius textus per duas columnas dispositi sint, quarum una latinum, altera popularem sermonem exhibeat. Huiusmodi libri rituales, quos communiter « bilingues » nominant, hodie per universum orbem divulgantur, sive per regiones fidei antiquae, sive fidei adhuc praedicandae.

c) Ex traditione sat antiqua, vel partim inde ab aevo medio, in certis regionibus Germaniae, Austriae et regionum vicinarum usque in Poloniam, necnon in quibusdam partibus Galliae, viguit et adhuc viget usus, inter Missae celebrationem, cantus populares concinendi, ita quoque, ut locum tenerent ipsius cantus liturgici, praesertim hymni « Gloria in excelsis » et symboli, quorum prima verba, iuxta morem, a sacerdote celebrante gregorianis modis lingua latina decantantur, dum fideles eosdem hymnos propria lingua persolvuntur. Demum anno 1943, inter trites perturbationes, quas in Germania et vicinis regionibus motus ille produxerat qui voce « Nationalis-Socialismus » significatur, cum catholici gravibus vexationibus publice opprimerentur, ita ut Liturgia sacra quasi medium unicum manserit fidei servandae et tuendae, nomine totius Episcopatus germanici per Cardinalem Bertram, primum inter collegas, Romae imploratum est privilegium praedicto modo Missae celebrandae (« Deutsches Hochamt ») necnon, propria adhibita lingua, libere et licite adhibendi alios quosdam modos participationis directae populi. Quod per rescriptum Secretariae Status (die 24 dec. 1943) concessum est, vel, ut proprius rem significemus, praedicti usus « benigne tolerati » sunt. Ex eo tempore usus linguae vulgaris in participatione fidelium Sacro Missae Sacrificio sensim augeri coepit, atque privilegia similia, imprimis pro regionibus S. Congregationi Fidei Propagandae subiectis concessa sunt, de quibus tamen singulis concessionibus haec S. Rituum Congregatio minime certior facta est.

3. *Argumenta quae saepius afferuntur ad ampliorem usum linguae vernaculae in actionibus liturgicis obtinendum.*

Ex multis et complexis argumentis quibus, recentiore aetate, ubique terrarum, quasi in dies augetur petitio quo largior et liberior usus lin-

guarum popoularium in ipsa Liturgia latina admittatur, praecipua adnumerantur.

a) *Generalis innovatio sensus liturgici,* quo permoti, fideles ardentius desiderant, *directe* actionibus liturgicis participare, formulasque liturgicas *directe* percipere. Salutaris sane illa innovatio, uti notum est, principalem fautorem sanctum Pontificem Pium X habuit, nec Successores eius umquam cessarunt liturgicum spiritualem progressum apud fideles fovere. Ita factum est, ut motus quasi universalis ortus sit ad Liturgiam nostram latinam penitius penetrandam: quod absque largiore usu linguarum vernacularum difficulter tantum obtineri potest.

b) *Vis et impetus vitae modernae.* – Aliud argumentum linguis vernaculis favorabile desumunt plurimi ex illo gravissimo eoque generali statu vitae hodiernae, quo scilicet homines, humilis quoque condicionis, imo scholarum pueri, ope modernarum inventionum uti sunt « radio », « televisio », folia « rotocalco » impressa et alia huiusmodi, adeo sunt assuefacti ad percipiendas communicationes cuiusvis generis *directe et immediate* propria lingua, ut eis vere difficile deinde evadat sacris functionibus assistere, quarum sensum per interpretationem tantum arripere possint, adiutorio sive libri, sive alicuius « commentatoris ». Tota vita moderna hac nostra aetate homines vi et impetu continuo aggreditur; datur immensa propagatio politica, commercialis, oblectationum omnis generis, quam invitissimus quoque vix effugere potest. Cum denique fideles in nostris ecclesiis sacris interveniunt ritibus, qui natura sua et per rationes historicas in se ipsi intellectu iam sunt difficiles, necesse esse videtur — concludunt — obviam illis ire, ut quae iam obscura sunt et abscondita condicione sua, saltem clariora et magis aperta fiant directa et immediata verborum significatione.

c) *Generalis regressus cultus linguae latinae.* – Verum tamen non solum inter simplices fideles in dies crescit ardens desiderium intelligendi et sequendi directe et immediate liturgicas Ecclesiae actiones, sed etiam augetur in dies inter ipsos clericos et sacerdotes adpetitio largioris usus linguae propriae vernaculae in sacra nostra Liturgia.

Quod quidem factum — dolendum sane — explicatur ex condicionibus vitae modernae. Aevum etenim nostrum plane « technicum », abducitur a cultu litterarum humaniorum. Non desunt nationes, ubi latina lingua non amplius docetur; in multis aliis nationibus cultus eiusdem linguae magis magisque contrahitur, in nationibus quae recenter in Africa et in Asia a regimine « coloniali » europaeo ad propriam rei publicae formam pervenerunt, latinitatis cultus vix excolitur. Augetur etiam saepius numerus eorum qui provectiore tantum aetate, studiis ab humanioribus scientiis plane alienis, ad sacerdotium venerunt. Utcumque est, inde ab aliquot

annis augetur numerus petitionum sacerdotum et locorum Ordinariorum (quod plane confirmatur suggestionibus Episcoporum ad Concilium parandum transmissis), quibus exposcitur relaxatio legis linguae latinae in sacra Liturgia unice adhibendae.

Rationes adductae in huiusmodi petitionibus ordinarie eaedem fere sunt: 1) deficiens et in dies decrescens cognitio linguae latinae (causas superius innuimus, propter quas multi sacerdotes iam non valent Officium divinum recitare cum vero fructu et spirituali delectatione. 2) Adducuntur rationes actuositatis pastoralis: lectio sacrae Scripturae in divino Officio desideratur in lingua patria hac causa, ut ex familiaritate cum sacro textu, ex lectione quotidiana in Breviario acquisita, eiusdem sacri textus usus in praedicatione uberius faciliusque reddatur. 3) Psalmorum lectio quoque in vernacula lingua adpetitur, ut ex faciliore intellegentia a sacerdote perlegente sapor salutaris Scripturae intimo animo gustari possit. 4) Aliud quoque adducitur factum quod scilicet multi moderni sacerdotes sanctorum Patrum scripta latina (ne de graecis loquamur) difficulter tantum intelligere possunt, sive pauca illa excerpta qui in Officio divino exhibentur, sive ipsissima scripta, quorum lectio utilissima esset, ita ut certa quaedam « denutritio » spiritualis inter clericos iam deploretur.

d) « *Maturitas* » *populorum.* – Inter plura, quartum argumentum videtur numerandum quod adducitur ex universali populorum « maturitate ». Ubique terrarum, non solum in hac nostra perantiqua Europa, valide succrescit elata propriae nationis admiratio, maior cultus patrii moris historiae, sermonis, artis, ingenii, una cum amore et studio propriae gentis, unde, quaequae extranea sunt, quaequae importata vel imposita, recusantur et deponuntur. Haec omnia peculiari modo et vi considerari possunt in permultis regionibus et nationibus quae his ultimis temporibus europaeae ditioni se subtraxerunt vel mox se subtracturae sunt. Hinc prae oculis ponitur saepius opus missionariorum (nominamus Sinense et Iaponense imperium, regiones quasdam proximi Orientis etc.) plus aequo commixtum fuisse cum opere politico nationum europaearum, et ex hac re gravissima exorta esse damna nostrae religioni. Neque obliviscendum est — dicunt — populos minus cultos, ut nunc accidit in Africa, optare quidem perfectionem cultus civilis europaei, sed magis perseverare in moribus et consuetudinibus patriis, nec raro dari casum ut religionem quoque catholicam considerent quasi proprietatem europaeam, sibi ipsis minus convenientem. Sed de hac difficultate S. Congregatio de Propaganda Fide, uti supponimus, fusius aget.

e) *Argumentum ex S. Scriptura et dictis Summorum Pontificum.* – Fautores usus linguae maternae in S. Liturgia libenter provocant ad S. Paulum apostolum, quem strenuum assertorem fuisse asseverant lin-

guae popularis in Liturgia. Agitur de cap. 14 *epistulae primae ad Corinthios*: in hac parte epistulae Apostolus tractat de variis donis, uti sunt glossolalia et prophetia, quibus tunc Ecclesia abunde donata erat. Dum Apostolus ex una parte affirmat utilitatem illorum donorum, insistit ex altera parte in necessitate interpretationis illorum quae per glossolaliam vel per prophetiam prolata fuerunt, hac ratione, ne simplices fideles, his donis carentes, absque fructu spiritualis aedificationis maneant, cum, quae per glossolaliam vel per prophetiam proferuntur, non intelligant: *ibidem,* vers. 16: « Ceterum, si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet " Amen " super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit? ». Unde notum periodicum americanum, quod pro largo usu linguae anglicae in Liturgia catholica vehementer pugnat, titulum sibi imposuit « Amen ». Doctor gentium certe hoc loco de conventibus christianorum agit, in quibus tunc simul praedicatio seu catechesis atque Liturgia eucharistica peragebatur.

Huic argumento ex S. Scriptura fautores linguae vulgaris in Liturgia addere solent aliud argumentum, verba scilicet aliqua Summorum Pontificum Pii XII et Ioannis XXIII, qui, data occasione, non dubitarunt asseverare, *religionem catholicam non esse ligatam* exclusive *ad civilem cultum* « *occidentalem* » seu « *europaeum* », quem sane europaei invasores et missionarii, inde a saec. XV et XVI, ubique terrarum diffundere sategerunt.

f) *Argumentum ex natura linguae.* – Aliud argumentum sane non facile spendendum quod fautores linguae vernaculae in Liturgia adducunt, hoc est: lingua humana *per naturam suam* praecipuum ex maximum validissimumque est *instrumentum communicationis* inter homines. Hoc perspicue demonstratur narratione biblica de confusione linguarum, cuius consectarium fuit hominum hucusque unius linguae in totum mundum dispersio.

Si lingua est praecipuum instrumentum consociationis inter homines, hoc valet etiam pro celebratione sacrorum rituum in quovis cultu religioso, tam apud « primitivos », quam apud populos cultiores. Ceterum, dicitur, momentum linguae, qua instrumentum communicationis et commotionis hominum, nostris temporibus valde auctum apparet, ope praecipue inventionum quibus permittitur verba ad ingentem multitudinem hominum transportare, sive undis electricis per aethera transmissis, sive auctifico vocis instrumento. Magni « dictatores » qui his ultimis temporibus in variis mundi partibus populos et nationes sibi subdiderunt, maxime vi verbi seu sermonis operati sunt. Invitantur vel adiguntur homines, volentes, saepius nolentes, ad verba audienda quibus demum

permoti, in eorum partes adducuntur, qui sibi adeptos scientifico modo naverunt facere.

« Verba movent »: hac tamen necessaria condicione, ut ea lingua proferantur, quae eorum quibus diriguntur, propria sit. Maxima enim per naturalem ordinem communicationis et persuasionis vis inest linguae maternae. Curnam, dicunt fautores linguae vernaculae in Liturgia, Ecclesia Romana tantum abhorret ab usu linguae maternae in sacra Liturgia, cum tamen maxime desideret vivam fidelium participationem, quae reapse praecluditur per usum quasi exclusivum linguae latinae?

Aliud adhuc addendum est, quod saepius fautores linguae vernaculae in Liturgia adducunt. – « Reformatores » qui dicuntur, contra praxim Ecclesiae Romanae, insistebant quam maxime in usum patriae linguae in Liturgia. Vix negari poterit, apud « protestantes », si quae pietas adest, hanc deberi magna ex parte usui propriae linguae populorum. Hinc accidit, ut petitiones atque efflagitationes pro usu linguae vulgaris saepenumero ex regionibus proveniant, ubi catholici cum protestantibus permixti vivunt, ut in America septentrionali, in Germania, in Anglia, et alibi. In his regionibus catholici inde ab infantia optime cognoscunt « liturgiam » protestantium, cum quibus intime convivere coacti sunt, et difficulter tantum (maxime fideles simplicioris condicionis) se possunt subtrahere cuidam commotioni, observantes cultum protestantem adeo patentem cordi et animo propter precationes, cantica, formulas propria lingua prolatas, cum in ecclesia catholica pauca vel nihil directe percipere queant.

Hoc valet etiam, suo modo, pro Missionibus: qui ad catholicam fidem convertuntur, quo momento ab avito cultu pagano ad cultum catholicum transeunt, directam communicationem cum sacris ritibus paene nullam servant propter latinam linguam quasi unice adhibitam.

g) *Argumenta quaedam minora producuntur.* – Quaestio de lingua liturgica in Ecclesia latina adeo gravis est et complexa, ut maxima serietate argumenta probanda sint, quae a fautoribus linguae popularis proferri solent. Superest ergo, argumenta quaedam minora nec tamen leviter praetereunda, brevissime recordari, ne deesse videamur iustitiae et aequitati quae in re tanti ponderis exigitur.

1) Usus linguae latinae in Liturgia Ecclesiae romanae (latinae) res est directe et imprimis ad disciplinam pertinens; haec autem immutari et adaptari *potest,* immo *debet,* iuxta temporum et fidelium necessitates quae continuo mutantur. Sicut ceterae leges Ecclesiae, sicut *Codex Iuris Canonici* (uti Ioannes XXIII solemniter annuntiavit), ita etiam leges liturgicae subsunt generali condicioni mobilitatis omnium rerum humanarum.

2) Status hodiernus iuridicus inductus est evolutione historica, quae labentibus saeculis v-x circiter effectum produxit, qui postea cano-

nicis legibus sancitus est. Quae tunc *in aliqua tantum parte continentis europaei* evenerunt, hodie *toto orbe quinque continentium,* cum innumeris populis atque linguis, difficultates plurimas non parvi momenti producunt.

3) In ritibus orientalibus (catholicis et orthodoxis) inde ab initio maior viguit libertas circa linguam liturgicam. Et si verum est, quasdam linguas liturgicas orientales hodie mortuas esse, etiam verum est, in Liturgiis orientalibus hodie non raro *linguas adhuc vivas* usurpari, immo aliquando totam Liturgiam (Missae) moderna lingua europaea celebrari, uti fit lingua anglica pro « Ucrainis » in U.S.A. et in Canada, absque Fidei vel morum damno.

4) Affirmari solet linguam latinam liturgicam esse « *vinculum* » *unionis* Ecclesiae universalis. Hoc negatur; est tantummodo « *signum* » quoddam *externum* unitatis Ecclesiae « latinae ». Ecclesia enim « catholica » non lingua latina unitur, sed unitate Fidei et regiminis sub Romano Pontifice et sub Episcopis cum illo unitis. *Alii ritus non latini* Ecclesiae catholicae, propter linguae liturgicae diversitatem, nullo modo ab unitate Ecclesiae seiunguntur.

5) Denique — sunt semper fautores linguae vernaculae in Liturgia, qui loquuntur —, insistunt in asserto illo quo enuntiari solet certa quaedam *linguae latinae* « *sacralitas* » seu *character* « *mysterii* ». – Negant huius asserti veritatem. Concedunt sane, evenisse atque evenire, sive in antiquis cultibus classicis, sive in cultibus et religionibus primitivis, sive populorum cultiorum, ut aliquando formulae liturgiae cursu temporum obsoluerint, sed tamen conserventur, non absque specie quadam « mysterii » seu « sacralitatis »; attamen, ubi agatur de partibus rituum et caerimoniarum, quae *directam populi participationem requirunt,* necessario in usu esse et manere linguam vulgarem, sine qua participatio vera et propria foret impossibilis. Monent igitur dicti fautores linguae vulgaris, ne propter nimium usum linguae latinae apud rudiores fideles errata opinio oriatur, vim et valorem formularum (maxime sacramentalium!) ex earum *latinitate* provenire, quasi sint formulae « magicae », atque ita, earum vera vis « sacramentalis » obnubiletur.

De his denique satis.

Vota S. Rituum Congregationis

1. *Votum generale.* – Omnibus et singulis supra expositis ponderatis et perpensis, haec S. Rituum Congregatio ad hanc sententiam generalem pervenit, *adnitendum esse quam maxime, ut usus linguae latinae in Liturgia Ecclesiae « latinae » in suo statu servetur.*

2. Rogandum vero est Concilium, ut inveniat modos efficaces quibus procuretur, ubique terrarum, *talis futuri cleri in lingua latina institutio,* ut reapse capax sit ad hanc linguam in omnibus ritibus et officiis liturgicis recte adhibendam et plane intelligendam, ita ut ex hoc capite removeatur omnis iusta contra linguam latinam liturgicam quaerimonia.

3. Proponendum videtur Concilio, ut faveat editioni *novi Ritualis Romani,* ad formam libri actualis compositi, in quibusdam opportune emendati et aucti, et lingua latina conscripti. Hic liber ritualis praescribendus esset Ecclesiae latinae; attamen in eo designari deberent illi *textus, qui in linguam vernaculam,* ubi necessitas aut opportunitas hoc *suadeant, transverti possent.* Translationes autem faciendae essent *cura et auctoritate Conferentiarum Episcopalium* singularum nationum, pro singulis linguis ibi praecipue in usu, ita ut fideles eiusdem linguae omnes una eademque translatione utantur. *Ultima tamen approbatio* cuiusque translationis fiat ab hac Sacra Congregatione Rituum.

IV

DE RITUUM SEU LITURGIAE APTATIONE AD TRADITIONES ET INGENIUM POPULORUM

Status quaestionis

Sacri ritus et caerimoniae non sunt elementa in se ipsi exstantia, dissociata a vita privata et publica populorum, inter quorum ambitum celebrantur. Profecto verum est, Liturgiam primum dirigi ad Deum; sed pariter verum est, Liturgiam esse servitium *hominum* Deo oblatum: *ab hominibus* exerceri, *pro hominibus* offerri, *hominibus aptari deberi.*

1. Nunc autem factum historicum notatu dignum invenimus: *Liturgiae orientales,* maxime in Missae Sacrificio, ingenio populorum orientalium optime congruunt: abundant enim canticis, amant dialogum sacrum, qui praecipue inter diaconum et fideles intercedit, ideoque sunt Liturgiae plenae vita, quas faciliter populus prosequitur. E contrario, *Liturgia latina* (quae ex parte sua est aptatio latina primaevae liturgiae grecae in Urbe), cum praedicatio evangelica ad populos « barbaros » pervenit, ad ingenium illorum populorum minime sese accommodavit, sed remansit *spiritu et lingua latina.*

Ex illo tempore in Occidente primum et deinceps in toto Orbe praedicatio catholica processit per tot ac tantas populorum varietates; Liturgia vero, uti dictum est, remansit ubique latina, absque ulla ad horum populorum ingenia et consuetudines aptatione.

In memoriam vero revocari debet, saeculis XVI et XVII currentibus, multos Evangelii praecones, potissimum apud Sinenses, Iaponenses, Indos, serio tentavisse aptationem rituum seu Liturgiae latinae ad exquisita illorum populorum ingenia et consuetudines. Sunt enim populi antiqui cultus civilis, inter quos scientiae profanae, philosophia et artes eximium obtinent locum. Notum est, tentamen illud aptationis rituum misere irritum factum fuisse. Quantum et qualis fuerit error, aptationem liturgicam tunc desideratam respuisse, hodie vix satis potest aestimari. Ita saltem iudicant multi rerum studiosi et multi Evangelii praecones, qui nostra aetate similibus subsunt difficultatibus.

Quidquid est, hoc absque controversia est: populos et nationes inter se valde dissimiles esse ingenio, moribus atque usibus, nec solam linguam esse principale elementum distinctionis inter populos. Hinc est, quod prudens advena europaeus in exteri regionibus aliqua ratione se conformavit usibus loci.

2. Nostris ergo temporibus, ut rem propius aggrediamur, cum opus Ecclesiae missionarium totum comprehendat orbem cum infinita populorum varietate et multitudine, quibus respondet aeque multiplex consuetudinum et linguarum dissimilitudo, magis in dies agitatur *quaestio de necessitate cuiusdam aptationis rituum liturgicorum ad ingenium proprium singulorum populorum.*

Multum iuvant ad haec proposita enucleanda, profundiora studia recentioris aetatis de ethnologia, de anthropologia, de sociologia et psycologia populorum et similia, quibus semper magis proprietates et ingenia singulorum generum hominum agnoscuntur et aestimantur.

Ceterum, his ipsis temporibus assistimus « emancipationi » populorum Asiae et Africae a dominio et potentia europaeorum, imprimis ratione submissionis politicae. Sed una cum libertate politica incrementum capit aestimatio proprii ingenii, propriarum consuetudinum et morum. Hinc venit etiam, inter alia multa, *nova observantia avitae religionis,* quae numquam caret (« anima naturaliter christiana! ») sensu religioso quo tota vita familiae, tribuum, populi; vita et mors; tempus adolescentiae, matrimonium et alia huiusmodi, ritibus et caerimoniis sacris circumdatur et quasi consecratur.

His omnibus consideratis et perpensis, in terris Missionum praecipue, sed etiam in regionibus cultus et vitae iuxta modum europaeum, crevit inter multos firma convictio esse necessariam certam quamdam aptationem Liturgiae catholicae ad ingenia et mores populorum, inter quos exercetur ministerium sacerdotale.

3. Fautores similium consiliorum novum proponunt argumentum, quod ipsis provenit ex regionibus quae post « vallum ferreum », uti dici

solet, exstant. Re vera, notum est, moderatores illarum regionum (nominamus explicite Germaniam orientalem, Poloniam, Cecoslovachiam, Hungariam) inde ab aliquot annis multum adlaborasse, ut Sacramentis Ecclesiae catholicae, imprimis baptismo, confirmationi et matrimonio, opponantur « pseudo-sacramenta », seu usus sacramenti adsimulati, quibus ingressus hominis in vitam, adolescentis in societatem politicam, et institutio novae familiae ex qua novi asseclae communismi exspectantur, peculiari splendore publico condecorentur. Homini enim necesse sunt ritus et caerimoniae, quae, si non sunt « religiosae », erunt « atheae », uti exempla adducta clare demonstrant. Bene notum est quanta vi Episcopi catholici et « pastores » protestantes contra hos ritus atheos procedant; notum est pariter quanta tenacia moderatores communistae hos ritus vi et metu imponere non cessent. Sacramentis Ecclesiae opponunt « sacramenta » aptata (et multa cum arte!) communitati Communismi.

4. *Adducuntur exempla circa Sacramenta.* – Fautores propositorum quae ad aptationem liturgicam tendunt, inter alia adducunt exempla quaedam quibus demonstrare cupiunt necessitatem illius aptationis.

a) *Baptismus.* – Ritus in antiquitate tam laudabilis « gustationis salis », hodie — dicunt — caret omnino significatione. Usus salivae in ritu, qui cognominatur ab « Ephpheta », a multis respuitur tamquam « antihygienicus » et repellens sensum. Certae unctiones in variis corporis partibus, exsequi iam non possunt. Curnam non aptare totum ritum Baptismatis ad mentem modernam et ad usus populorum, qui cognoscunt varios ritus pro ingressu novi hominis in vitam terrestrem?

b) *Confirmatio.* – Ritus et caerimoniae Confirmationis, prout nunc in Liturgia continentur — ita affirmant multi —, non amplius respondent moribus et consuetudinibus vitae modernae, nec inter populos eurapaeo cultui addictos, nec inter populos propriae religioni deditos. Propterea, affirmant, Confirmatio (quod est maxime dolendum) non iam exercet effectum illum profundum, qui in totam vitam sequentem potenter influat, ac summopere exoptatur nostris hisce temporibus tam difficilibus pro Ecclesia.

Proponuntur et exoptantur ritus et caerimoniae quibus immediate omnibus qui hoc sacramentum recipiunt, absque complicatis explicationibus illucescat natura et intentum huius sacrae actionis, immissionis scilicet iuvenis christiani in exercitum Ecclesiae ad pugnanda proelia Domini.

c) *Eucharistia.* – Participatio Corporis Domini in Communione, aiunt, quandam simplicem aptationem admittere posset: formula enim

quae in distributione Sacri Corporis adhibetur, saepius (si plurimi sint communicantes) vix digne et convenienter proferri potest; est enim nimis prolixa. Proponitur ergo formula brevior, illa scilicet quam ex antiquitate novimus: « Corpus Christi! », quae in ritu ambrosiano nunc quoque viget. Similes preces ad Concilium multi Episcopi admoverunt.

d) *Paenitentia.* – Notum est, in administratione Paenitentiae, ritum primaevum, idest, manuum impositionem reductum esse ad actionem quasi imperceptibilem: sacerdos elevat manum versus paenitentem, qui, propter constructionem sedium « confessionalium » cum suis cratibus, vix animadvertit actionem sacramentalem. Circa formulam seu formam sacramenti pariter proponunt aptationes, ut sensus sacramenti paenitenti facilius aperiatur.

e) *Extrema Unctio.* – Iam nomen huius Sacramenti non placet amplius. Dantur catechismi, qui aliud nomen habent, uti « Unctio sacra », « Unctio infirmorum » et similia. Sed magis agitur de opportunitate unctionum in singulos sensus, quarum aliquae iam omitti possunt. Totus vero « apparatus » quo sacramenti administratio circumdatur, non iam omnibus placet. Desideratur aptatio ad varios casus principales; si administratur moribundo in extremis, si administratur infirmo gravi absque prudenti spe sanationis; si administratur infirmo cui spes sanationis arridet; si administratur homini annis cumulato vel iuveni aut puero.

Similiter desideratur aptatio precum quibus homo ad mortem praeparatur. Actualis « Ordo commendationis animae », — ita dicitur — maiori parti christianorum nostrae aetatis non est amplius aptatus. Deest in illis illa profunda cognitio personarum antiqui Testamenti quae in his precibus nominantur, deest praecipue patientia et capacitas percipiendi et meditandi longas preces et spiritui nostri temporis alienas. Aptentur igitur melius variis condicionibus vitae et intelligentiae nostrorum christianorum quibus reapse servire debent.

f) *Matrimonium.* – Etiam de hoc sacramento et de eius ritu habentur desideria et vota maioris aptationis ad condiciones et mores populorum et, in generali, ad sensum hominis nostri aevi. Curnam, quaeritur, non conatur Ecclesia sacro sensu vestire varios ritus et consuetudines, partim natura profana, partim vero natura religiosa, quae in variis populis ab antiquo occasione matrimonii adhibentur, et quae ordinarie hominibus illis plena apparent significationibus, dum ritus matrimonii sacramentales nimis parci sunt?

g) *Sacramentum Ordinis.* – Mirum non est, etiam de hoc Sacramento dari varias suggestiones maioris aptationis ad captum et sensum hominum nostri aevi et variarum gentium.

Nimis longum esset enumerare hic desideria, vel saltem praecipua.

Sufficiat ergo adumbrare argumentum. – In conferendis Ordinibus, sive maioribus sive minoribus, adhibentur variae res, quarum traditio symbolum est officii aut muneris ordinando collati. Desideratur explicatio ex ipso ritu clarius deducenda, atque reductio, praecipue in ordinatione sacerdotali et in consecratione episcopali, cumuli caerimoniarum (una cum earum formulis) quae homini moderno vix atque vixquidem sensum immediatum et facile intellegibilem praestant. Aptationis amplioris fautores hoc imprimis intendunt, ut ritus et caerimoniae quibus sacramenta et sacramentalia tam magna, ut sunt Ordinationes sacrae, simplici modo atque omnino claro administrentur, ita ut populus fidelis, his ritibus assistens, absque longis et implicatis explicationibus sensum actionum percipere et valorem ipsius sacramenti aestimare valeant.

Adducuntur exempla circa Sacrificium Missae. – Circa aptationem totius ritus Missae celebrandae ad nostra tempora et ad sensum et intelligentiam fidelium variarum nationum multa scripta sunt, et plus vel minus competenter proposita. Exclusa ab hac tractatione quaestione linguae (de qua alio loco actum est), restat adhuc copia rerum, sed in hac sede pauca tantum et quae maioris momenti sunt breviter attingi possunt.

Sunt qui totum ritum Missae nimis « spiritualem » et « abstractum » esse putant, ita ut fidelibus ne iteratis quidem explicationibus vere comprehensibilis reddi possit. Desiderant ritum *qui ex se ipso,* ex solo adspectu, fidelibus naturam Sacrificii Missae atque eius applicationem, praesertim in sacra Communione, clare et expressive exhibeat. Sunt qui speciem « mensae » eucharisticae magis optant in lucem poni, sunt qui speciem « sacrificii » plus vellent extollere. Sunt qui strictam proponunt separationem, in ambitu totius Missae, partis quam communiter « didacticam » vel « Missam catechumenorum » vocant, a parte quae Sacrificio dicatur, et quam soliti sunt denominare « Missam fidelium ».

Non pauci proponunt ut aliquae partes Missae, quae decursu temporum et mutatione condicionum vitae ab usu exciderunt, iterum (ob rationes « pastorales ») reprehendantur, sicut ex. gr. usus processionis *oblationum fidelium* tempore « Offertorii » Missae, vel usus *precationum ad modum litaniarum* pro Ecclesiae necessitatibus et alia. Tempora nostra et novus rerum liturgicarum sensus qui inter fideles excitatus est, ita putant multi, deberent persuadere de necessitate novae aptationis veterum usuum.

In terris Missionum, quod nemo mirabitur, multi sunt Missionarii, qui praesertim in ritu Sacrificii Missae exoptant et vehementer propugnant aptationem profundam et intelligentem *ad ingenium et consuetudines populorum,* inter quorum ambitum Missa celebratur. Hi enim populi, dicunt, iam habent sua sacrificia, iam habent (in sensu — uti

clarum est — improprio) « theologiam » sacrificiorum quae iuxta eorum antiquam et venerandam traditionem, propriis occasionibus, proprio modo offeruntur. Inveniri deberet, aiunt, modus qui permittat, Sacrificium Missae aptare vel appropinquare in suis externis ritibus et caerimoniis consuetudinario usui sacrificali illorum populorum. Sunt aliquando *colores liturgici,* ad normam morum europaeorum statuti, qui populis alterius cultus civilis insoliti vel monstruosi apparent (si ex. gr. colorem nigrum pro festivitatibus adhibent, colorem album pro funeribus). Multi populi extra europaei non possunt intelligere solemnitatem absque saltatu (« danza religiosa ») aut chorea; Missae celebratio his populis omnino res humillima vel tenuis esse apparet, atque vix vel difficulter tantum induci possunt ut hoc Sacrificium pro maximo, Deo super omnia alia sacrificia accepto, recognoscant. Similiter quidam contendunt adoptionem fieri debere etiam circa musicam sacram; gregorianus enim cantus, ita illi, populis, praesertim illis qui ab antiquo proprium cultum musicum habent, vix non paret pulcher aut actioni sacrae conveniens, auribus enim eorum contrarius sonat. Desideratur itaque a multis permissio *cantus et musicae vernaculae,* ut hoc quoque modo, utique sensibili, Missae Sacrificium (et Liturgia in genere) ad ingenium singulis populis proprium magis accedat.

Adducuntur exempla circa Officium divinum. – Etiam circa Officium divinum proponuntur non pauca desideria opportunae aptationis.

Imprimis plures sunt qui insistunt ut Officium divinum, sicuti nunc in Ecclesia habetur, imprimatur *duplici forma,* nempe forma propria pro usu *in choro,* altera vero forma pro usu illius qui *solus* idem recitat. Re sane vera, forma Officii divini, prout nunc habetur, originem duxit ex recitatione solemni in choro seu in forma dialogata, inter duas partes, quae aliquando ambae uni praesidi subsunt. Haec forma remansit, quando, currentibus saeculis, condiciones cleri profunde mutatae sunt, ita ut hodie *maior pars* eorum qui ad Officium divinum recitandum adstricti sunt, id per se ipsi soli faciunt. Consectarium autem huius mutationis est, ut forma « choralis » precanti solitario in multis non convenit. Provocatur imprimis ad « Dominus vobiscum » cum suo responso, ad Responsoria, ad Benedictiones et alia huiusmodi. Aptatio ergo petitur, cuius ope aut formae distinctae Officii divini comparentur, aut saltem in una forma generali, cum recitatur a solo, ea omnia expungantur quae — aiunt — non habent sensum.

De lingua in recitatione Breviarii adhibenda, iam alio loco tractatum, est. Hinc addendum est a non paucis aliam aptationem desiderari scilicet circa *obligationem* et, coniunctim, circa *pensum seu mensuram quotidianam* Officii divini. Etiam hoc problema ex diverso angulo visionis alio

loco iam tetigimus; hic sufficit animadvertere novam normam obligationis desiderari in favorem (certo sensu) Officii divini. Norma enim quam prospectant, haec esset: cessato *tempore* proprio singularum Horarum, cesset etiam *obligatio,* illas recitandi. Ita sperant salvare principium dispositionis horariae Breviarii, atque etiam prespectum necessitatum modernae vitae quibus fit ut saepius tempus non suppetat ad Horam *suo tempore* dicendam, ut necesse non sit, Horam extra tempus aptum et proprium male recitare. Aptatio ergo practica quae mediam viam tenet inter rigidum systema quod nunc viget (obligatio perdurans per totum spatium 24 horarum diei) et inter dispositionem horariam quae reapse exsistit.

Alii quidem aliam formam aptationis ad tempora moderna quaerunt: reducetur, animose, Officium divinum ad *duo,* vel ad summum *ad tria tempora diei: mane, meridie, vespere.* Omnia quae non intrant in hunc novum ordinem, supprimantur. Aptatio sane consueto longius progrediens.

Iterum alii aptationem exoptant, non iam totius Breviarii, sed saltem aliquarum partium, illarum videlicet, quae — uti affirmant — ad vitam spiritualem sacerdotis alendam proxime pertinent. Desiderant illi *novum systema lectionum,* hoc modo ordinatum, ut aequo modo sacra Scriptura, scripta Patrum et Doctorum vel etiam aliorum scriptorum rerum spiritualium (etiam modernorum) opportune et sapienter per annum disponantur, ut una cum recitatione Breviarii etiam lectioni spirituali atque aedificationi satis factum sit.

Ne in longius rem protrahamus, de his aptationis propositis satis habentes, ad vota Congregationis denique transeamus.

Vota S. Rituum Congregationis

Argumentum aptationis sacrae Liturgiae (« aggiornamento ») ad tempora moderna ex una parte, et ad ingenium et consuetudines populorum ex altera, inter graviora et difficiliora connumerari debet. Unde etiam vota quae haec S. Congregatio circa hoc argumentum praesentare intendit, magis indicativa sunt quam directiva.

1. Congregatio Rituum ad persuasionem pervenit, aptationem sacrae Liturgiae in quibusdam suis partibus, sive ratione temporis moderni, sive ratione ingenii populorum, argumentum esse quod *peculiarem expostulet attentionem.*

Nemo neget, condiciones generales vitae et « actuositatis » cleri profunde esse mutatas inde a saeculis, in quibus et pro quibus Liturgia formam sumpsit quam adhuc tenet.

Nemo neget, ex adverso, ratione habita generalis progressus politici et cultus civilis populorum, etiam eorum qui recens ad libertatem pervenerunt, formam externam Liturgiae catholicae indigere vel potius expostulare *quasdam aptationes opportunas.*

De ambitu vero et de natura harum aptationum melius iudicabit Concilium, cui ex toto mundo proposita sunt suggestiones et postulata, quae accurato indigent studio et examine.

2. Opportunum proinde esse ducit haec S. Congregatio, ut in praeparatione Concilii quaestio de aptatione liturgica in generali et in singulis suis aspectibus accurate et singillatim examinetur, cooperante etiam, pro sua competentia, S. Congregatione de Propaganda Fide, *ita ut Concilio schema sat concretum* de hac materia proponi possit.

3. Aestimat denique haec S. Congregatio, hoc momento supervacaneum esse, proponere pro singulis partibus Liturgiae suggestiones *circumscriptas,* cum prius constare debeat de *facienda aptatione* et saltem generaliori modo *de eius ambitu.*

V

DE INSTITUTIONE LITURGICA

Status quaestionis

Cuiusque artis vel scientiae exercitium tunc recte, decenter et fructuose fit, si ars vel scientia prius rite et complete addiscitur. Haec valent tam de rebus quae ad vitam « materialem » pertinent, quam de illis quae ad vitam « spiritualem » necessaria sunt. Itaque etiam *exercitium sacrae Liturgiae ex parte cleri,* et *participatio liturgica* ex parte fidelium convenienter et cum fructu fiet, si praecesserit et cleri et fidelium accurata et diuturna praeparatio et institutio. Haec veritas, quantum sit omnibus comperta, tantum — praecise in re liturgica — est reapse neglecta.

Huius rei perspicuum habetur testimonium in variis factis, quae brevissime adducere iuvat:

a) Progrediente in dies ubique, quamquam mensura et intensitate sat differentibus, *apostolatu liturgico,* apparet undique quantum sit lacunosa et insufficiens praeparatio liturgica tam cleri quam fidelium, ita ut dictus apostolatus multis et gravibus impeditus appareat difficultatibus quae superari possunt tantummodo per solidam institutionem liturgicam;

b) necessitas vere urgens solidae et accuratae institutionis liturgicae, tam cleri, quam populi christiani, recentioribus temporibus magis

adhuc inclarescit *ex reformatione liturgica* quam olim S. Pontifex S. Pius X incepit, et Pius XII recenter impense promovit, cuius vero successus pastoralis tantum in tuto collocabitur et durabit, si imprimis *clerus omnis* totis viribus hanc reformationem exsequitur et fovet, et *pius populus per clerum* in profundum sensum et efficaces veritates sacrae Liturgiae inducitur;

c) *suggestionibus et responsionibus Ordinariorum locorum* pro futuro Concilio clare evincitur necessitas, scientiam liturgicam in omnibus suis partibus impense instaurandi et promovendi, alioquin omnis opera et omne studium innovandae vitae christianae per impensum cultum liturgicum in cassum abibunt;

d) clare perspecta necessitate institutionis liturgicae, tam cleri quam fidelium, haec S. Congregatio in recentissima sua *Instructione de Musica sacra et sacra Liturgia* (3 sept. 1958), quam Summus Pontifex Pius XII specialissimo modo approbare voluit, integrum capitulum (cap. 6, nn. 104-111) huic materiae explicandae et inculcandae dedicavit. Quae omnia, iuxta proverbium, « litterae mortuae erunt », nisi *auctoritas ecclesiastica competens,* in universo mundo, opportuniori modo et cum firma constantia curaverit, ut institutio liturgica, cleri et populi, accurata, solida, variis condicionibus singulorum conveniens, omnibus viribus promoveatur.

Vota S. Congregationis

Haec S. Rituum Congregatio, apprime conscia de proprio officio, ut Sacra Liturgia, non solum ut exercitium externum quorumcumque rituum aut caerimoniarum, sed imprimis ut necessarius et sacratissimus cultus Dei, in ipsius summam laudem et gloriam et in fidelis populi salutem, et ut elementum quodammodo principale in vita Ecclesiae Dei protegatur, instanter Concilium impellit ut necessariae institutioni liturgicae tam cleri quam fidelium efficaciter ac sollicite provideat.

Inter sacras disciplinas, quae in Seminariis clericorum absolute et congruenter futuris sacerdotibus impertiri debent, *omnino habeatur sacra Liturgia in universa sua extensione et in omnibus ipsius aspectibus et applicationibus,* ita ut quivis sacerdos reapse aptus sit et ad sacram Liturgiam digne celebrandam et ad fidelium participationem fructuosam procurandam.

Sacra ergo Liturgia, quae in multiplici atque operosa Ecclesiae vita primariam occupat partem, sive consideratur in Deum directa, sive in populum, etiam *in Statutis Seminariorum totius mundi,* Concilii auctoritate, obtinere debet locum, ne dicamus eximium, saltem adeo largum

ut vitae liturgicae Ecclesiae in temporibus advenientibus prospiciatur, quae certo certius graviora et peiora praevideri possunt, ita ut fidelium et sacerdotum pietas nullum detrimentum patiatur.

VI

DE FIDELIUM PARTICIPATIONE IN SACRA LITURGIA

Ex quo Summus Pontifex Pius XII in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* (29 iunii 1943) et *Mediator Dei* (20 novembris 1947) profundam doctrinam de veritate Corporis Christi, quod est Ecclesia, et de Liturgia Ecclesiae tamquam cultu Deo oblato per Mediatorem Christum et una cum illo, exposuit, apostolatus liturgicus, quem idem Pius XII impense fovit, non quidem novas cognitiones, sed potius profundiorem scientiam grandium mysteriorum adeptus est. Inter veritates non paucas, quae decursu temporum et certa quadam neglegentia theologorum minus vivae in Ecclesia perceptae sunt, una valde commovit sensum fidelium, qui saepius intimiorem quasi conscientiam servant veritatum Fidei, quae in vita externa Ecclesiae apparere possunt aliquatenus neglectae.

Agitur de participatione fidelium operi liturgico Ecclesiae; agitur de sacerdotio illo quod S. Petrus Apostolus affirmat omnibus fidelibus esse commune; agitur imprimis de participatione quam fideles praestant vel praestare debent Sacrificio Missae. De his omnibus — quantum est de sua « competentia » — haec S. Rituum Congregatio diffuse egit in Instructione de Musica sacra et sacra Liturgia (3 sept. 1958), explicando et fusius exponendo ea quae Summus Pontifex Pius XII in allatis Litteris encyclicis summatim exposuerat.

Sicut ex suggestionibus et responsionibus Episcoporum pro Concilio videre est, tota quaestio de sacerdotio laicorum et de eorum participatione in sacra Liturgia, imprimis in Sacrificio Missae, tenet adhuc omnium attentos animos, ita ut a Concilio expetatur theologica expositio, in omnibus partibus absoluta.

Votum huius S. Congregationis

S. Rituum Congregatio, ad quam proxime et directe spectat custodia et cura sacrae Liturgiae, summam iudicat esse causam cui omne studium, etiam ex parte Concilii, impendatur, fidelium nempe in sacra Liturgia participationem, seu laicorum « sacerdotium », ita ut libenter occurrat precibus eorum qui huius veritatis pleniorem desiderant explicationem.

VII

DE INSIGNIBUS PRAELATORUM ET EPISCOPORUM SEU DE USU « PONTIFICALIUM »

Sollemne est omnibus populis et religionibus, ut qui officio sive politico sive religioso eminent, certis quibusdam insignibus a ceteris distinguantur. Ita factum est ut, in religione quoque catholica, fidelium pastores ab antiquis temporibus insignia quaedam, ut plurimum ex usu officialium Romani Imperii, assumerent, quibus in exercitio proprio officii ecclesiastici uterentur.

Munus nostrum non est hic scribere historiam omnium insignium Episcoporum aut praelatorum, aut describere eorum vestes liturgicas et chorales, aliaque huiusmodi. Propositum praecipuum S. Rituum Congregationis hoc est: agere praecipue et breviter de sic dictis « pontificalibus », seu de insignibus peculiaribus Episcoporum, quae sunt: mitra, baculus pastoralis, candela (« bugia »), anulus, et quidam modus sese vestiendi in actionibus liturgicis.

Factum quoddam historicum non est praetereundum: pastores quoque monasteriorum, id est Abbates, inde a primordiis vitae claustralis, ob Officium proprium — intra moenibus claustri — haud dissimile ab Officio Episcoporum, coeperunt sibi assumere baculum pastoralem et mitram, mox alia quoque « pontificalia ».

Sed — uti experientia millies probavit — horum officiorum insignia et nomina nimis faciliter a personis maiore dignitate praecellentibus ad personas in minore dignitate constitutas descendunt, vel potius ab his cupide adpetuntur et usurpantur. Ita fit ut peculiare signum honoris et officii sua propria significatione quodammodo destituatur et, cum nimis vulgatur, personam maiore munere auctam a ceteris non iam distinguat. Hoc accidit praesertim in usu « pontificalium », qui per privilegia et consuetudines adeo est vulgatus, ut haec « pontificalia » iam non dici possint insignia Episcoporum et Abbatum.

Votum S. Rituum Congregationis

Sufficiant quae supra vel brevissime innuimus, ut pateat desiderium huius S. Congregationis, scilicet ut Concilium, ad tuendam magis et demonstrandam Episcoporum dignitatem et potestatem, *definitive et absolute* reservet usum « pontificalium », maxime baculi et mitrae, *unicis et solis Cardinalibus, Episcopis* residentialibus et titularibus, ubique,

iuxta rubricas; necnon *Abbatibus de regimine* sed tantum *intra claustra sui monasterii,* ceteris quibuscumque privilegiis, consuetudinibus aut exceptionibus, sub quovis titulo concessis vel quomodocumque arreptis, perpetuo sublatis.

VIII

DE QUAESTIONIBUS QUAE KALENDARIUM ATTINGUNT

Status quaestionis

Duae sunt quaestiones praecipuae quae proxime Kalendarium attingunt, et quae certe a Concilio tractandae erunt: *A*) quaestio *de reformatione Kalendarii,* et *B*) quaestio *de stabiliendo die fixo pro celebratione solemnitatis Paschatis.*

Hae duae quaestiones hanc prae se ferunt singularitatem, quod ex una parte sint inter se bene distinctae, ex altera quodammodo inter se cohaerentes.

Sunt inter se distinctae: dies enim Paschatis fixus eligi potest etiam quin Kalendarium reformetur, sicut Kalendarium reformari potest, quin dies Paschatis fixus eligatur; sunt inter se cohaerentes: a die enim in quo festum paschale collocatur, dependet totus ordo dominicarum anni.

Agemus ergo separatim de quaestione Kalendarii qua tali, et de quaestione diei fixi pro celebratione Paschatis.

A) *De reformatione Kalendarii*

1. *De Kalendario Gregoriano.* – Viget hodie fere in omnibus regionibus sic dictum *Kalendarium Gregorianum,* a Papa Gregorio XII denominatum, qui an. 1582 tunc vigens Kalendarium Iulianum secundum necessitates practicas ita transformavit, ut in longinquum quoque futurum tempus absque errore et defectu notabili persistere posset. Hoc Kalendarium *simul fuit ecclesiasticum* seu liturgicum *et civile.*

Cum vero tunc temporis unitas christiana populorum iam scissa esset, initio tantummodo Status catholici Kalendarium a Papa reformatum secuti sunt; Germaniae Status protestantes solummodo an. 1700, regnum Magnae Britanniae an. 1752 Gregorianum Kalendarium receperunt, ne de ceteris Statibus et civitatibus minoribus loquamur. Recenter quoque, scilicet post primum bellum universale, Status qui « Orthodoxiae » adhaerent, uti Russia, Graecia, Status balcanici minores, deinde etiam Turchia, a Kalendario Iuliano quod adhuc sequebantur, ad Kalen-

darium Gregorianum transierunt. Item multi Status recentioris originis in Africa et Asia Kalendarium Gregorianum nunc sequuntur.

Unum vero hic clare enuntiandum est: Kalendarium Gregorianum duplicem demonstrat characterem: pro Ecclesia catholica est Kalendarium religiosum et liturgicum, pro Statibus seu pro mundo civili est mere Kalendarium civile, acceptum et servatum propter evidentes rationes publicae utilitatis et uniformitatis.

2. *De proposito reformandi Kalendarium civile.* – Hoc elementum, practica scilicet et universalis utilitas, his ultimis decenniis magis magisque produxit generale desiderium, maxime inter eos qui commercio et rei argentariae internationali dediti sunt, habendi Kalendarium simplex, absque annuis mutamentis, mensium atque singulorum dierum aequali et stabili positione confectum, ita ut omnes anni inter se sint uniformes.

Itaque iam a multis annis proposita sunt innumera systemata pro novo Kalendario, ad efformandum annum ex omni parte perfectum, et menses dierum numero inter se aequales. Sunt qui numerum 12 mensium retinere tentant, sunt qui 13 menses inducere malunt; omnia tamen systemata, propter numerum dierum 365 quibus annus constat et qui per numerum septem dividi non potest, coacti sunt inducere diem unum aut, in annis bissextilibus, dies duos, *extra ordinem hebdomadarum,* aliis verbis, diem vel dies qui non sunt nec dominica nec alius ex ceteris sex feriis hebdomadae.

3. *De opera « Nationum Unitarum » pro reformatione Kalendarii.* – De reformando Kalendario civili — Status moderni de aspectu religioso Kalendarii non curant — etiam institutio universalis quae a « Nationibus Unitis » (O.N.U.) vocatur, iam multum adlaboravit. Statuit peculiare officium quod quaestionem investiget et solutionem paret; annuatim donantur aliqua centena millia « Dollar » ad studia huius officii explenda. Sed hucusque impossibile fuit ad certam pervenire decisionem, maxime (uti dicitur) propter vehementem oppositionem Hebraeorum, qui ratione legis divinae, ut aiunt, Sabbati, omnem reformationem Kalendarii respuunt, qua non salvetur intacta positio Sabbati, ordine omnino regulari, absque ulla intermissione. Ordo ergo quivis, vi cuius adhiberetur *dies extra ordinem hebdomadae,* Hebraeorum consensum vix acquiret. Utrum, vel quando, vel quomodo proinde reformatio Kalendarii civilis, a Nationibus Unitis universaliter adhibendi, reapse haberi poterit, hodie plane ignoratur.

4. *Ordo stricte hebdomadarius et Ecclesia catholica.* – Rebus sic stantibus, oritur quaestio, utrum Ecclesia catholica se ipsam et pondus suum

« morale » interserere possit aut debeat in quaestione de reformando Kalendario civili. Nondum agitur de die fixo pro festo Paschatis statuendo, sed tantum de positione Ecclesiae circa novum quoddam Kalendarium a Statibus acceptandum, in quo ordo hebdomadarius quovis anno regulariter interrumpatur per unum vel plures dies extra ordinem hebdomadarum positos.

Consensus enim Ecclesiae ad simplicem Kalendarii civilis reformationem, absque inductione diei vel dierum qui omni anno extra ordinem hebdomadarum exsistant, certo certius dari potest. Hoc in casu, forsitan, necesse erit quaedam festa Sanctorum ad alium diem transferre; sed hoc non est obstaculum ad acceptandum huiusmodi Kalendarium civile.

Potestne autem Ecclesia acceptare Kalendarium, in quo uti *norma* stabilis habentur unus vel plures dies extra ordinem regularem dominicarum, seu hebdomadarum positos? Quaestio ad hoc restringitur: utrum institutio hebdomadae sit directe divina, an tantummodo originis humanae. Et sane videtur esse res humana tantum. Etenim, uti repertum est, hebdomada septem dierum vel aliquid simile invenitur praecipue apud populos stirpis semiticae; in forma autem plena, scilicet ita constituta ut dies septimus sit dies sacer, in quo labores corporales stricte vetantur, apud Hebraeos. Haec forma hebdomadae a populis aliarum stirpium plane ignoratur. A religione vero hebraica hebdomada septem dierum, una cum die abstinentiae ab omni labore, transivit ad primitivam Ecclesiam christianam et paulatim diffusa est per totum orbem qui cultum civilem europaeum secutus est. Affirmari ergo potes hebdomadam septem dierum, et consequenter ordinem hebdomadarium Kalendarii, non esse directe et stricte institutionis divinae, sed ortum habuisse ex religione populi hebraici, a qua, non sine divinae Providentiae dispositione, in usum generaliorem transivit. Itaque Ecclesia catholica, propter commune bonum vitae civilis, potest accedere ad ordinem Kalendarii, vi cuius continuus cursus hebdomadarius quandoque interrumpatur.

B) *De stabiliendo die fixo pro celebratione solemnitatis Paschae*

1. *De mobilitate diei festi Paschatis.* – Nemo nos exprobrabit si omittamus historiam festi Paschatis pressius enarrare.

Duobus modis dies festus Paschatis inseri potest in Kalendarium: retineri potest 1° *dies Mensis,* quo Dominus mortuus et resurrexit, aut 2° *dies Hebdomadae.* Iuxta primum modum, dies Paschatis migrat per omnes dies hebdomadae: uno anno est ex. gr. dominica, alio anno est feria tertia, vel sexta, vel quaevis alia; iuxta alterum modum vero dies Paschatis servat semper eundem diem hebdomadae, sed migrat per

varios dies mensium martii et aprilis: uno anno cadit ex. gr. in 25 aut 30 diem mensis martii, vel in diem 2 aut 10 aut 20 aut in alium diem mensis aprilis.

Uterque modus computandi diem Paschatis, reapse receptus est: primus inde a temporibus apostolicis servatus est maxime in Asia; et huius modi asseclae, quia celebraverunt Pascha die 14 mensis Nisam, iuxta usum hebraicum, denominati sunt « quartodecimani »; alter modus, eadem aetate invectus, sed potius occidentalis et romanus, postquam a Concilio oecumenico Nicaeno (an. 325) et ab aliis Conciliis particularibus confirmatus est, paulatim in usu muniversalem devenit.

Hoc adhuc notandum est, celebrationem diei Paschatis christiani iunctam fuisse, iuxta consuetudinem hebraicam, *plenilunio aequinoctii veris*. Variae excogitatae sunt methodi ad diem paschalem accurate computandum; denique praevaluit illa quam adhuc sequitur Ecclesia catholica et quae nomen ducit ab abbate Dionysio Minore. Iuxta hanc methodum illa est dominica Paschatis, quae prima sequitur plenilunium aequinoctii veris, vel, si plenilunium in ipsum diem aequinoctii cadit (id est, si plenilunium cadit in diem 21 martii, qui tunc est dominica), ad evitandum ut Pascha christianum incidat in Pascha hebraicum, Ecclesia Pascha suum differt in dominicam sequentem. Ita factum est, ut dominica Paschatis *mobilis* sit et percurrere possit *35* illos *dies,* qui comprehenduntur *inter diem 22 martii et 25 aprilis.*

Notandum insuper, una cum dominica Paschatis moveri alia magna festa, scilicet Ascensionem Domini, Pentecosten, Corpus Domini et Cor Iesu. Nec sufficit: ordo dominicarum totius anni dependet a collocatione diei Paschatis, ita ut post Epiphaniam una tantum dominica vel usque ad sex esse possint, dominicae vero post Pentecosten vigintitres vel usque ad duodetriginta.

2. *Quae consideranda sunt ad diem fixum Paschatis recte eligendum.* – In his quae sequuntur, continuo accurate distinguendi sunt duo casus diversi: 1° assignatio diei fixi Paschatis *in Kalendario actuali seu Gregoriano,* et 2° assignatio diei fixi Paschatis *in Kalendario civili novo reformato.* Perdurante enim Kalendario Gregoriano, hoc unum tantum attingi potest, ut dominica paschalis non amplius per 35 dies vaget, sed ut intra spatium unius hebdomadae contineatur (aliis verbis, ut assignetur dominicae definitae ex. gr. primae mensis aprilis [1-7 apr.]); instituto autem Kalendario civili reformato, in quo omni anno *idem dies mensis* cadit *in eundem diem haebdomadae,* haberi potest dies dominica absolute fixa in quo festum Paschatis semel collocatum, semper permanet (aliis verbis, si, uti patet, primus dies omnium mensium est

dominica, dies primus aprilis, vel octavus semel pro semper eligi possunt pro celebratione paschali).

His itaque praemissis, ad singula transeamus.

a) *Quo die Christus mortuus sit et resurrexerit.* – Quaestio fundamentalis. Si enim de die mortis et resurrectionis Domini certo constaret, tunc omnino curandum esset ut solemnitas paschalis in hunc diem collocetur, vel saltem in dies viciniores. Innumeris fere investigationibus in antiquum Kalendarium hebraicum institutis, de die mortis et resurrectionis Domini certitudo adhuc non habetur; videntur hodie non pauci propensi esse ad recipiendum diem 7 mensis aprilis (iuxta Kalendarium modernum) tamquam diem mortis Domini, et consequenter diem 9 aprilis tamquam diem Resurrectionis. Sed certitudo non habetur, et vix unquam haberi poterit. Sequitur proinde historicas indagationes adiutorio nobis non fuisse ad determinandum diem Paschatis fixum, et proinde quamdam libertatem exstare ad eligendum diem ex omni parte convenientem.

b) *Consideranda positio festi Annuntiationis B. Mariae V. 25 martii.* – In Ecclesia romana, saltem a medietate saec. VIII, festum Annuntiationis B. Mariae V. receptum est et collocatum — pro sua natura — novem menses ante festum Natalis Domini. Ita efficitur ut festum, ad cyclum natalicium ordinatum, ordinarie in medium tempus quadragesimae irrumpat, vel etiam, propter supervenientem hebdomadam sanctam aut festum paschale post ipsa festa transferri contingat.

Rem practice inspiciamus: si dominica paschalis cadit die 22 martii qui est primus dies possibilis, festum Annuntiationis concurrit cum feria IV infra octavam Paschatis et transferri debet in diem 30 eiusdem mensis, seu in feriam II post dominicam « in albis ». Et sic porro, usque ad annum, in quo Pascha cadit die 10 aprilis; tunc dies 25 martius est dominica « in Palmis » et festum Annuntiationis adhuc transferri debet post octavam Paschatis, scilicet in diem 9 aprilis. Cum vero dominica paschalis cadit diebus a 20 usque ad 8 mensis aprilis, tum festum Annuntiationis incidit in plena hebdomada « Passionis »; et tunc tantum cum dies paschalis habetur a 9 aprili usque ad 25, seu ultimum diem possibilem, tunc Annuntiatio manet quidem intra Quadragesimam, sed extra tempus Passionis.

In eligendo ergo die fixo pro festo Paschatis, animadvertendum esset ad conflictum cum festo Annuntiationis B. Mariae V. Omnino evitandum esset, ut hoc festum cadat in hebdomada sancta; melius esset si vitaretur etiam hebdomada « Passionis », cum qua mysterium Incarnationis parum congruit. Si hic modus rem considerandi accipitur, primus dies pro dominica paschali eligendus esset — in Kalendario Gregoriano —, die 10

aprilis; hoc in casu Annuntiatio occurreret cum sabbato qui proxime praecedit dominicam I Passionis.

Si aliquando novum Kalendarium civile induceretur, similiter advertendum esset ad evitandam occurrentiam inter festum Annuntiationis et festa paschalia, vel etiam hebdomadam sanctam et « Passionis ».

c) *Consideranda positio dominicarum post Epiphaniam et post Pentecosten.* – Iam innuimus relationem intimam intercedere inter collocationem festi paschalis et ordinem dominicarum totius anni. *Progrediente die Paschatis* a die 22 martii ad diem 25 aprilis, dum simul *progreditur* spatium pro dominicis post Pentecosten. Itaque, quando dies Paschatis cadit die 22 martii, seu primo die possibili, annus *unam* tantum admittit *dominicam post Epiphaniam* (secunda iam est dominica in Septuagesima), post Pentecosten vero numerantur dominicae 28. E contra, quando dies Paschatis cadit die 25 aprilis, seu ultimo die possibili, annus admittit *6 dominicas post Epiphaniam,* sed 23 tantum post Pentecosten.

At vero, haec relatio non est adeo aequalis, ut progressum dominicarum post Epiphaniam pari passu sequatur simul regressus dominicarum post Pentecosten. Rem exemplo illustremus. – Si dies Paschatis venit die 9 aprilis, post Pentecosten habentur 26 dominicae; si Pascha cadit die 10 aprilis, iam numerantur 25 dominicae post Pentecosten. Numerus tamen dominicarum post Epiphaniam in his duobus annis immutatus manet, scilicet 4. Passus a tribus dominicis post Epiphaniam ad quatuor dominicas habetur, si Pascha transit a die 7 aprilis ad diem 8. Si vero annus in quo Pascha 7 aprilis cadit, est bissextilis, tunc iam habetur numerus 4 dominicarum post Epiphaniam. Hinc iam videtur quomodo ex mutatione diei Paschatis systema dominicarum valde intricatum fiat.

Effectus minus gratus huius systematis pro Liturgia (inter alia multa) hic est: *lectiones ex Sacra Scriptura* (« Scriptura occurrens ») directe connectuntur cum singulis dominicis earumque hebdomadibus; si vero contingat aliquam dominicam post Epiphaniam transferri post Pentecosten, translatio fit pro una parte Missae tantum, minime vero pro Scriptura occurrente. Ideo saepe pars etiam notabilis epistularum S. Pauli quae post Epiphaniam legi solent, plane deperditur.

His praemissis, convenienter considerare possumus, quis dies fixus proponendus sit ad celebrandum Pascha, ratione habita scilicet ordinis dominicarum et Scripturae occurrentis.

Si agatur de *novo Kalendario civili reformato,* cum eo creatur necessario etiam novus omnino atque perpetuus ordo dominicarum totius anni, ita ut stricte necessarium sit, novum componere ordinem Scripturae occurrentis. Ex hac parte selectio diei fixi Paschatis minus gravis est.

Si vero agatur tantummodo de eligendo die fixo Paschatis in *Kalendario Gregoriano,* duo casus dari possunt. Et quidem primus casus habetur si hac occasione in tota Liturgia *minima tantum desideratur aptatio seu mutatio*; tunc enim conservari deberet ordo Scripturae occurrentis, qui nunc viget, et proinde cavendum ne perditio ultimarum epistularum S. Pauli ultro gravis fiat, aliis verbis, conservandae essent saltem 4 aut 5 dominicae post Epiphaniam, et ideo, pro die Paschatis eligendi essent dies inter 9 et 16 aprilis.

Hoc in casu quaedam partialis aptatio conveniret ad salvandas saltem quasdam partes singularem epistularum S. Pauli.

Alter vero casus habetur si una cum die fixo pro festo Paschatis desideratur *ordo* etiam *renovatus totius Scripturae occurrentis*; tunc enim — ratione dominicarum post Epiphaniam considerata — minus urget habere numerum magis completum harum dominicarum et dies fixi pro festo Paschatis ultra diem 9 aprilis anticipari possent.

Intricatum — rerum natura ita disponente — hoc capitulum concludamus. Si dies fixus pro celebrando festo Paschatis eligi debet, in *novo Kalendario civili reformato,* probabiliter selectio fieri debebit inter dominicam 1 aprilis et alteram dominicam 8 aprilis. Ceterum Kalendarium liturgicum et ordo Scripturae occurrentis necessario per totum aptanda erunt. Si dies fixus pro celebrando die Paschatis eligi debet in *Kalendario Gregoriano,* tunc omnino desiderandum ut habeatur ratio simul festi Annuntiationis B. Mariae Virginis ac ordinis dominicarum, maxime post Epiphaniam. Hoc in casu consulendum esset ut eligatur dominica, quae cadit inter dies 9 et 15 aprilis; tunc enim festum Annuntiationis manet semper extra hebdomadam Passionis et dominicae post Epiphaniam habentur semper quatuor vel etiam aliquando quinque.

Duobus quaestionibus principalibus absolutis, scilicet de reformatione Kalendarii in genere et de eligendo die fixo pro celebratione festi Paschatis, unum restat adhuc utiliter considerandum quod capitulo sequenti absolvemus.

C) *Quid Sancta Sedes circa reformationem Kalendarii et diem fixum pro Paschate eligendo senserit vel fecerit*

Mense iulio an. 1923 institutio illa, quae « Societas Nationum » audivit, S. Sedem invitavit ut mentem suam aperiret circa opportunitatem introducendi novum Kalendarium civile, una cum die fixo pro festo Paschatis. Eadem invitatio transmissa est ad Patriarcham Constantinopolitanum, graeco-orthodoxum, et ad Archiepiscopum Cantuariensem, anglicanum. Sancta Sedes legatum suum misit in civitatem Genevensem

(Ginevra) sedem « Societatis Nationum », P. Gianfranceschi, S.I., qui mentem Ecclesiae Romanae in hunc fere modum exposuit: Ratione dogmatis catholici nihil omnino obstare ut fiat reformatio Kalendarii, etiam si pro festo Paschatis dies fixus eligatur et nonnulla festa sanctorum in alios dies transferri contingat; attamen omnino postulari causam boni communis gravissimam, scilicet ut ex hac innovatione certum et omnino maius lucrum et emolumentum capiant, qui negotiationibus et rei argentariae aliisque muneribus « internationalibus » dedit sunt. Patriarcha graecus reformationi Kalendarii non erat contrarius, sed affirmavit se absque suae Synodi consensu nihil posse perficere. Archiepiscopus anglicanus reformationi propositae plenam dedit approbationem. Itaque praesidium « Societatis Nationum » ad omnia gubernia mundi nuntium misit de proposito Kalendarii reformandi. Proponebatur 1) annus 12 mensium, in quo omne trimestre dies haberet 92 (annus 364 dies); vel 2) annus 13 mensium, item 364 dierum. In duabus tamen formis anni, dies 365 et dies bissextilis adiungerentur, aut in medietate aut in fine anni, sed necessarie extra ordinem hebdomadarum, sicuti dies absque numero (« giorni zero »). Sed ne unum quidem gubernium propositum tunc accepit: multa gubernia incerta manserunt, quaedam autem contraria fuere. Hebraei propositum prorsus recusaverunt, quia ratio lunaris annum computandi eliminaretur et, per consequentiam, ordo continuus hebdomadarum et sabbatorum interrumperetur. *Sancta Sedes tunc respondit, se futuro Concilio generali rem proponere velle.* Itaque nihil omnino tunc factum est.

Post ultimum universale bellum nova nationum societas, « Nationes Unitae » (O.N.U.), rem iterum studio subiecit. Cum vero relationes S. Sedis cum hac institutione internationali directe ad Secretariam Status pertineant, haec S. Congregatio in obscuro est, utrum vel quae negotia circa Kalendarium reformandum inter S. Sedem et « Nationes Unitas » intercurrerint.

Unum vero nobis memorare liceat. Cum de generali Liturgiae reformatione quaestio moveretur, *Summi Pontificis tunc regnantis Pii Pp. XII mens* est quaesita. Pro disponenda enim Liturgia multum confert cognoscere, utrum Kalendarium Gregorianum mansurum sit, an novum, et quale, Kalendarium adhibendum. Haec responsio tunc nobis pervenit: nullam exstare *necessitatem intrinsecam,* quae mutationem Kalendarii vel diem fixum et stabilem pro festo Paschatis requirat; si maiore vero parte Statuum consentiente in acceptando novo Kalendario civili reformato, S. Sedem illico huic innovationi accessuram esse, cum omnino non conveniat duo simul Kalendaria consistere, civile nempe et ecclesiasticum,

inter se differentia. Coniecturare licet hanc eandem sententiam hodie adhuc vigere.

Denique addendum esse videtur aliud argumentum vix spernendum, quod directe contra « dominicam » vertitur. – Notum est illos Status civiles, qui regimen et doctrinam « Communismi athei » sequuntur, omnibus viribus adniti ut non solum catholica et quaevis alia religio, sed etiam vestigia et traditiones religionis penitus eradicentur. Hinc est quod in aliquibus huiusmodi Statibus hebdomada christiana septem dierum iam sublata sit et eius loco sit inducta divisio temporis in series *decem dierum* (« decades »), ita tamen, ut una pars operariorum unum diem, alia pars diem diversum habeat quietis a labore. *Hoc modo celebratio diei religioni sacri* (« *dominicae* ») *plane impeditur.* Nec tacere possumus methodum blandiorem qua in Cechoslovachia celebratio dominicae impeditur. Ibi hebdomada septem dierum in vigore manet, praecipue propter commercium cum « mundo occidentali », sed pro « Industria et Productione nationali » inducta est hebdomada « *labilis* », scilicet, septimus dies liber pro remissione a labore conceditur unae turmae operariorum uno die, aliae turmae diverso die et sic porro, ita ut hic quoque celebratio diei dominicae *pro tota communitate* graviter impediatur.

Habetur etiam iam exemplum historicum eversionis Kalendarii christiani: in Republica gallica tempore magnae perturbationis politicae impositum est Kalendarium novum, penitus civile, ordinatum per « decades » quod viguit a die 5 oct. 1793 ad diem 31 dec. 1805.

Tentamina subvertendi ordinem hebdomadae septem dierum, directe, aut aperte aut occulte *contra celebrationem diei dominici,* negligi non debent. Nisi Ecclesia catholica opportune et tempestive interveniat, periculum incumbit, ne nova Kalendarii ordinatio fiat, *sine* Ecclesia, vel — quod peius esset, — *contra* Ecclesiam. Hoc loco recordari iuvat, paucis abhinc annis in Germania « occidentali » (!) a patronis « magnae Industriae » adeo vehementer propagatam fuisse hebdomadam « labilem » (« Die gleitende Arbeitswoche »), ut Episcopatus fortiter et graviter ad defedendam hebdomadam christianam insurgere debuerit. Impetus vero « progressus » seu potius maioris lucri non cessabit tentare corrumpere systema hebdomadae septem dierum, cum suo omnibus communi die quietis a labore.

Additur aliud periculum. Recentiore aetate, in multis Statibus, *inducta est hebdomada laboris quinque dierum,* vel saltem reductio horarum laboris talis, ut iam feria VI post meridiem incipiat tempus liberum. Non desunt qui petant ut obligatio audiendi Missam a dominica extendatur ad horas vespertinas sabbati praecedentis, ea intentione, ut dominica libera sit ad otium et relaxationem. Serio deliberandum esse videtur ne

ex his et similibus modernae vitae « progressibus » damnum irreparabile oriatur sanctificationi diei dominici et, in genere, constitutioni ordinis hebdomadarii traditionalis christiani, neve, data occasione, condatur Kalendarium civile, in quo non amplius locus sit celebrationi diei Domino dicati.

Hic status quaestionis, sat amplus, nobis necessarius visus est ob gravitatem rei de qua agitur. Concilium generale vix ab his quaestionibus pertractandi abstinere poterit, nec multo minus huic S. Rituum Congregationi his quaestionibus supersedere licet.

Sic demum pervenitur ad vota.

Vota S. Rituum Congregationis

1. *Votum generale.* – Quaestio de acceptando novo Kalendario civili a Statibus civilibus elaborato, vel de die fixo eligendo pro die Paschatis celebrando, *theorice, nullam habet relationem cum dogmate catholico, et est mera quaestio disciplinae ecclesiasticae.* Attamen sunt rationes sat graves quae serio admonent ut his quaestionibus plena attribuatur attentio, ne ex improviso, vel ex malitia coetuum atheorum vel ex praepotentia sic dicti « progressus industrialis et materialis », ordo Kalendarii reformatus induatur, quo locus « dominicae », uti diei a communitate dicandi, compromittatur.

2. Concilium serio deliberare debet, quo modo, his temporibus, sanctificatio dominicae plano sensu tutari possit et debat, peculiari respectu habito *ad praeceptum audiendi Missae Sacrificium,* maxime, ne, extensa facultate Sacrum audiendi in sabbatum antecedentem, dominica tota in mundanas delectationes convertatur.

3. Quod attinet *ad diem fixum stabiliendum pro festo paschali,* ex una parte *necessitas interna* ad hoc faciendum non *habetur* (quamvis selectio diei fixi etiam ordinem anni liturgici simpliciorem redderet); ex altera parte, cum in vita et oeconomia civili adlaboraret, ut pro festo Paschatis dies stabilis et quovis anno aequalis, stabiliatur, *Ecclesia catholica* his studiis vix *absque damno contrarie poterit.*

4. Hoc autem, eo vel magis, cum — praeter quaestionem diei fixi pro Paschate — multo magis et a multis partibus urgeatur *constitutio novi Kalendarii civilis reformati,* Ecclesia catholica omnibus viribus adniti debet, ne in construendo Kalendario, *ordo hebdomadae christianae,* seu septem dierum, relinquatur, quamvis nihil obstet, quominus semel vel bis in anno reformato, dies unus vel duo extra ordinem hebdomadae maneant, si tamen ceterum hebdomada, et cum ea dies dominicus, in suo loco servetur.

5. Si vero contingat novum Kalendarium redigi, vel tantummodo diem Paschatis fixo et stabili diei connecti, tunc adnitendum esset, ut dies eligatur quo nec *ordo dominicarum* post Epiphaniam et post Pentecosten nimis constringatur, nec *festum Annuntiationis B. Mariae V.* nimis propinquum fiat ipsi diei Paschatis (ut supra in Statu quaestionis large expositum est).

6. Valde desiderandum esset, ut Concilium condamnet modos et methodos quibus, sive ratione lucri et progressus materialis, sive ratione (saltem indirecta) antireligiosa, hebdomada septem dierum una cum proprio de Dei gloria et remissioni dedicato, quomodocumque laederetur, uti fit per ex. « hebdomada labili » vel inductione « decadum », vel quovis alio modo. Quivis sit ordo Kalendarii, *Ecclesia exigere debet diem stabilem,* regulari brevi cursu redeuntem, *quo communitas christiana unita possit Deo honorem tribuere* quem debet, et a labore quiescere.